Re: Dates of publication of fascicles of Louis Agassiz' Nomenclator Zoologicus.

The MCZ Library has a volume, gift of Alexander Agassiz to Walter Faxon, and bequest of Mr. Faxon to the Library [October 16, 1934; MCZ call number BR(Ref)-A], from which the following information was obtained from the original cover/title-pages of the respective fascicles.

"Fasciculus I, continens Mammalia, Echinodermata et Acalephas; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann Soloduri, 1842)."

"Fasciculus II, continens Aves; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloder [sic.], 1842)."

"Fasciculus III et IV, continens Crustacea et Vermes I.E. Entozoos, Turbellaria,et Annulata; Hemiptera et Infusoria; Polygastrica et Rotatoria; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1843)."

"Fasciculus V et VI, continens Neuroptera, Orthoptera, Polypi et Reptilia; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1844)."

"Fasciculus VII etVIII, continens Mammalia, Aves, Reptilia, Pisces, Crustacea, Hemiptera, Orthoptera, Neuroptera, Hymenoptera, Vermes, Rotatoria, Polygastrica, Echinodermata Acalephas et Polypos [all but Pisces and Hymenoptera being Addenda.]; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1845)."

"Fasciculus IX et X, continens Titulum et Praefationem Operis, Mollusca, Lepidoptera, Strepsiptera, Diptera, Myriopoda, Thysanura, Thysanoptera, Suctoria, Epizoa et Arachnidas; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1846)."

"Fasciculus XI, continens Coleoptera; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1846)."

"Fasciculus XII, continens Indicem Universalem; Sumtibus et Typis Jent et Gassmann (Soloduri, 1847*)."

*However, the title page bound with the fascicle itself bears the date 1846. Apparently this title page was among those supplied in 1846, and fascicle XII, intended to be published in 1846, not actually published until 1847.

There is a cryptic note pencilled in on the Title page of another copy of this work [MCZ-A] giving the publication date of a "fascicle 13" as 1847, but as no other evidence can be found of such a fascicle, perhaps this can be taken as a reference to the delayed issuance of fasciculus XII, the Universal index.

NOMENCLATOR ZOOLOGICUS.

Faxon copy (BR-A) contains Fascicle co[...] which are lacking in this copy. Cover of Fasc. 13 is dated 1847.

NOMENCLATOR ZOOLOGICUS,

CONTINENS

NOMINA SYSTEMATICA GENERUM ANIMALIUM

TAM VIVENTIUM QUAM FOSSILIUM,

SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM DISPOSITA, ADJECTIS AUCTORIBUS, LIBRIS, IN QUIBUS REPERIUNTUR, ANNO EDITIONIS, ETYMOLOGIA ET FAMILIIS, AD QUAS PERTINENT, IN SINGULIS CLASSIBUS.

AUCTORE

L. AGASSIZ,

HIST. NAT. IN ACAD. NEOCOM. PROFESSORE.

ADJUVANTIBUS

PRINC. C. L. BONAPARTE; H. BURMEISTER; T. A CHARPENTIER; C. DUMÉRIL; G. R. EHRENBERG; GUIL. F. ERICHSON; ERN. F. GERMAR; G. R. GRAY; J. E. GRAY; L. IMHOFF; J. J. KAUP; H. LŒW; H. LUCAS; C. TH. MENKE; H. A MEYER; FR. MIESCHER; M. MILNE-EDWARDS; HUGH E. STRICKLAND; ANDR. WAGNER; G. R. WATERHOUSE; ZELLER.

Botanici (nec minus Zoologici) nomine indignum judico Curiosum, qui de generibus sollicitus non est.

LINN. *Philos. botan.*

SOLODURI.

SUMTIBUS ET TYPIS JENT ET GASSMANN.

1842—1846. 1847.

LECTORI BENEVOLO.

Cum destinatum mihi sit omnia auxilia, quibus in componendo meo Nomenclatore Zoologico adjutus sum, absoluto demum Opere singillatim enarrare, satis fuerit in hoc primo fasciculo pauca monere, quorum nonnulla jam in Prospectu tetigi.

Genera hucusque constituta, sive probata sint, sive minus recepta, ad 17,000 omnia in tabulas retuli : tum quo auctore, quo in opere, quo anno primum in lucem prodierint, (quæ, si de jure primi auctoris agatur, haud parvi sunt momenti,) tum etymon nominis, denique familiam ad quam quæque pertinent. Quaeque Classis a cæteris disjuncta per se ipsa spectatur : Index vero nominum universalis, omnes Classes complectetur, et nomina duplici usu adhibita alia aliis apponet.

Cum nomini cujusque generis nomen familiae, cui adscribitur, additum sit, omnium ex regno animali generum affinitates, uno quasi intuitu, in his Indicibus reperies, quod quidem ad ordinandas Collectiones plurimum prodest. Præterea recensitis, quæ in singulis Classibus ordinem cogunt, nominibus, facile cognosces quæ Genera constituta fuerint in unaquaque familia, et simul Opera, in quibus descripta sunt, indicata invenies : ita evolvendis multis Operibus, in quibus aut ordinata aut depicta sunt, licebit abstineas.

Familias vero, ad quas referuntur genera, ipsis nominibus propriis citare commodum haberem, sed hæc dividendi ratio nec satis certa, in Classi saltem Mammalium, nec universe probata est : quamobrem coactus fui Ordinem potius indicare, et Familiæ nomen in accessionem addere. De aliis Classibus aliter, cum licebit, statuam, ut videbis in Classe Echinodermatum et Acalepharum, quæ jam cum Mammalibus prodeunt. Nec silentio prætermittendum, me, sententia plurium et amicitia et scientia mecum conjunctorum, quibuscum prima hujus Operis specimina communicavi, ad id adductum fuisse, ut omnes omnino nominum variantias, quæ apud Auctores reperiuntur, ideoque omnia nomina, quæ aut finalibus syllabis aut orthographia discrepant, omnes subfamilias, quin et Generum subdivisiones nominibus propriis designatas, adderem : ne menda quidem librariorum, quæ variantium verborum speciem præberent, sustuli. Denique quasdam nuncupationes communi consensu probatas, nec tamen in Operibus latine scriptis adhuc receptas, latina forma habes hic indutas. Hæc primi consilii immutatio causa est cur plura nomina Mammalium Classi, in Appendice, subjecta sint. Per eamdem occasionem, aliquot nomina, quæ in Operibus nuperrime editis reperivi inde a principio memoravi. Quo fit ut omnia nomina, quæ aut proposita sunt, aut quoquo modo in synonymiam Animalium introducta, in Nomenclatore meo deposita, nec tamen rata a me facta, invenias : quippe Repertorium imprimis completum esse debet.

Citatorum Auctorum ipsa loca si quando desideres, id eo excusari velim quod Opera, ex quibus nomina deprompta sunt, non jam habeo in mea potestate, quumque ea colligerem,

nondum edendi hos Indices inieram consilium : igitur supprimere ea potius habui, quam dubia fide lacunas explere.

Cum hos Indices cupiam reddere quam absolutissimos, ut inde Codex eruditionis zoologicæ aliquando fiat, omnes Zoologos rogo ut, si quid mendi aut omissio aliqua me fefellerit, humane me moneant, quo possim errata in Supplemento, ad finem operis rejecto, emendare. Præterea quidquid in posterum fuerit de hac materia in lucem editum, aut per litteras mihi significari, aut directo operave Bibliopolarum Jent et Gassmann hujus operis Editorum, ad me mitti velim; in annuis enim supplementis recens inventa colligam, ut nihil novi in hoc Nomenclatore Zoologico desideres. Non tamen omittam me ineditam de Nomenclatura modificationem, quamvis optabilis esse videatur, nullam in hos Indices admisisse ; id unum studui ut præsentem methodi statum, qualis est, referrem.

Elaborando hoc Repertorium in principia deductus sum, quæ multis locis a legibus nunc in scientia receptis differunt; nec dubito quin plures Viri Docti, perlustratis his Indicibus, immutationem mecum probent, ratamque faciant. Non enim servandum jam mihi videtur præceptum, quo barbara, quæ vocantur, nomina repudiantur, cum fere mille essent rejicienda, et in eorum locum nomina, quæ haud facile pari jure uterentur, substituenda. Tum nomina duplici usu consecrata haud facilius est respuere ; nam ea ratione totidem essent usitatis substituenda, et sæpe, ut auctoritas Inventoris constet, in locum notissimorum nova introducenda, alia vero desueta, uno eo jure quod aliquando fuerint aut usitata aut proposita, ad vitam revocanda : quod quidem nomenclaturam mirum in modum perturbaret.

Barbara nomina scientiæ intrusa fuisse, pravum est ; at substituendo meliora minime vitium tollas, cum propria sit scientiæ Historia : cæterum exprobratio in eos incidit quos non puduit imperitiam classici sermonis in lucem proferre. Ex duplicibus vero usibus parum nascitur incommodi præ confusione quam propria nomina fingendo afferres. Quam absurda sit nimia Nomenclaturæ severitas, ipse reputa : Genera enim duplici usu in variis Classibus regni animalis et in regno vegetali adhibita, ad mille numero cognita nunc habeo : quid autem de me censerent V. D, si, instituto catalogo, omnibus nova nomina, apposito superbo *Mihi*, perdocte accommodarem ? In dicteria sane incurrerem, quæ excitant quicumque istam gloriam captant. Quæ igitur omnia simul sanare, nisi puduisset, ipse poteram, quo tandem jure quispiam ex parte emendare conaretur ? Mea quidem sententia tempus est his talibusque cavillationibus, quæ ne uno quidem gradu scientiam promovent, supersedendi. Denique, plura sunt nomina, in desuetudinem lapsa, quæ mihi viderentur certo definitoque sensu revocanda.

Mammalium Indicem Clariss. Herm. a Meyer, Andr. Wagner et G. R. Waterhouse diligentissime, additis quæ me fefellissent nominibus, recognoverunt ; Herm. a Meyer fossilium, A. Wagner et Waterhouse viventium Genera compleverunt, citatis locis ex Operibus germanicis et anglicis quæ mihi non suppetebant. Beneficium viris illustrissimis acceptum refero.

Neocomi Helvetiorum, Cal. Mart. 1842.

L. AGASSIZ.

PRÆFATIO.

Ante quam immortalia Linnaei opera prolata sunt, nullis legibus adstricta erat corporum organicorum nomenclatura. Nomina propria e variis dialectis collecta ad designandas species aut sola, aut annotationibus brevioribus longioribusve explicata adhibebantur. Primus proposuit Linnaeus nomenclaturam certis legibus constitutam, quas posteri plerique ratas inviolabilesque habuerunt.

Inventa enim binominali denominatione designandis omnibus animalis vegetabilisque regni speciebus, totius doctrinae recentioris fundamenta Linnaeus jecit; Zoologiae autem et Botanicae tam simplicem facilemque nomenclaturam imposuit, ut omnes e quavis gente oriundi rerum naturalium investigatores eam et probarint et maxima diligentia secuti sint: quin et ipsi qui postea Linnaei nomenclaturam immutarunt, ex principiis illustrissimi Sueci opus aggressi sunt. Cum nonnullorum ex iis et rationem et, pro praesenti Zoologiae conditione, idoneum usum postea sim examinaturus, non supervacaneum mihi videtur ea e praeclaro opere, quod *Philosophia botanica* inscribitur, iisdem verbis concepta huc revocare. Et jure quidem id facere mihi videor, cum quae constituendae regni vegetabilis nomenclaturae praecepta Linnaeus dedit, eadem et ipse statuendis animalium generibus, in suo *Systemate Naturae,* observaverit, et omnes abhinc Zoologici regno animali perinde aptas habuerint. Numeri quibus paragraphi signantur, e *Philosophia botanica* transcripta sunt: quos ideo servavi ut postea citare auctoritatem commodius possem.

PRINCIPIA GENERALIA NOMENCLATURÆ LINNÆI.

211. «*Nomina vera plantis imponere Botanicis genuinis tantum in potestate est.*»

«Botanicus mihi hic dicitur is, qui genera naturalia observare intelligit. Botanici (nec »minus Zoologici) autem nomine indignum judico Curiosum, qui de generibus sollicitus »non est.»

«Sequitur itaque, nullum nomina vera plantis imponere posse, nisi sit Botanicus, et in- »telligat genera et species notas.»

«Desideratur etiam a Botanico, ut cum judicio nomina imponat, nec prima, quae in »mentem incurrunt.»

«Negamus omnia nomina ob ullo imposita plantis, nisi sint a Systematicis vel confecta, »vel confirmata.»

Utinam hae leges jam ante hos centum annos enuntiatae, fuissent, ex quo edictae sunt, semper observatae! non incidissemus in foedam illam, in qua hodie versamur, nomenclaturae confusionem.

212. «*Nomina omnia sunt in vegetabilis enunciatione, vel* muta, *ut classis et ordinis; vel* sonora, *ut genericum, specificum et varians.*»

His innuit auctor nihil profuturam mentionem classium, ordinum, familiarum ad quas genus pertinet; satis esse quodvis genus proprio nomine, adjectis specierum nominibus earumque varietatibus, designasse. Scribes e. g. *Lepus timidus*, non vero *Mammale, Rodens, Lepus timidus β isabellinus.*

213. «*Quaecunque plantae genere conveniunt, eodem nomine generico designandae sunt.*»

Videatur hodie haec lex sane supervacanea; sed non obliviscendum est tempore Linnaei plantas vel simillimas diversis generibus adscriptas esse, et eo ipso quod hunc usum abolevit magnum legislatorem Scientiarum naturalium Linnaeum evasisse. Sententiam suam his verbis expresse concipit:

«Quaecunqae genera conveniunt, eodem nomine designari, est primarium fundamentum, »cui superstructa est tota scientia Botanices, ut, eo demto, ruere debeat integra.»

Quin adeo hac de re instat, ut in complementum illius legis antitheton hoc addat.

214. «*Quaecunque plantae genere differunt, diverso nomine generico designandae sunt.*»

215. «*Nomen genericum in eodem genere unicum erit.*»

Haec lex ambarum priorum amplificatio est: testatur quanti faceret Linnaeus generum circumscriptionem, nominumque praefinitionem.

«Gerat itaque species singula plantarum in frontispicio sui generis nomen, sub quo mi-»litat, ergo hoc unicum sit, non duo, multo minus tria, nisi in eorum castra descenderemus, »qui credunt genera esse arbitraria, unamque eandemque plantam et posse genere conjungi, »et distingui cum his vel illis; vel etiam, qui putant se aliquod genus, maxima ratione, modo »lubeat, dividere, dum minimam investigarunt notam falsi testimonii caussa.»

Haec verba eo valent ut synonymorum usum, tunc temporis frequentissimum, prohibeant (ex. gr. *Symphytum* s. *Consolida* etc.).

216. «*Nomen genericum in eodem genere idem erit.*»

Istius legis necessitatem hodie vix intelligis; sed animadvertendum est Linnaeum, cum eam enuntiaret, mirandam illam binominalem nomenclaturam condendam suscepisse, quae studium Scientiarum naturalium optime levavit, tendenti autem ad tantam rem, nullam cautionem praefiniendo admittendorum nominum usui aptam, debuisse superfluam videri.

217. «*Nomen genericum unum idemque, ad diversa designandum genera assumtum, altero loco excludendum erit.*»

Hodie, si unquam, quam maxime interest ad memoriam revocare quos definiendae nomenclaturae conatus adhibuit Linnaeus, a levitate recentiorum, qui, confusa nominum generumque definitione, in eam quam Linnaeus totis viribus avertebat molestiam nos redacturi sunt, valde discrepantes.

«Expertus loquar: quanta confusio, quanta memoriae imponantur onera vix ferenda, dum eadem nomina a variis ad diversa trahantur genera . . . .»

218. «*Qui novum genus constituit, eidem nomen imponere tenetur.*»

Supervacaneam sane commendationem! in caeco multorum recentiorum studio qui, nullis indictis characteribus, divisionibus genericis nomina imponunt. Sed, dum cudunt nomina, utinam meminissent cautionum quas doctissimus Suecus in condendis generibus adhibendas jussit.

«Certum est nullum plantam nominare debere, nisi sit Botanicus, nec ulli licere nomen genericum imponere, qui genera non intelligat.»

219. «*Nomen genericum immutabile figatur, antequam specificum ullum componatur.*»

Quantam Linnaeus in delectum nominum curam impendit!

«Esset itaque maxime exoptandum, ut nomina generica *pura* et *digna*, quo prius eo melius, conderentur; sat enim diu deliberatum, quid statuendum semel sit.»

«Immutabilia, ut evadant nomina, debent certis et naturalibus imposita esse generibus: cadente vel mutato genere, mutantur et nomina.»

«Debent dein nullam cum aliis nominibus parere confusionem, nec barbara esse, nec speciebus contraria.»

220. «*Nomina generica* primitiva *nemo sanus introducit.*»

Hoc praecepto vult doctiorem elegantioremque colendae scientiae rationem introducere.

«Nec in me suscipio nominum genericorum in Botanicis inditorum dare derivationem omnium; sed cum homines simus rationales, ut nil praeter rationem faciamus, est quod urgeo; adeoque nec nomina fingamus, (praesertim attento hocce seculo) quae non aliqualem admittunt radicem, ne absolute Barbari videamur.»

221. «*Nomina generica ex* duobus vocabulis *integris ac distinctis facta, a Republice Botanica releganda sunt.*»

Generum nomina, ut Auricula Ursi, Dens Leonis, Primula Veris, Corona imperialis etc., usitatissima erant tempore Linnaei, qui ea recte abolevit.

222. «*Nomina generica ex duobus latinis vocabulis integris et conjunctis vix toleranda sunt.*»

«Ego quidem non multa heic proferam argumenta, cum quivis ipse bene percipiat latina »verba non tam facile coaliri, quam graeca; praeterea et eloquentiae Magistri facile reperirent »argumenta, quibus accusare possent Botanicos, si hanc nimium calcarent viam.»

Haec lex indicat quanta cautione quantaque severitate Linnaeus in nominibus generum sanciendis procederet, qui nomina qualia sunt Virgaurea, Vincetoxicum etc., quae tamen nonnulli recentes probatissima haberent, recte respuit.

223. «*Nomina generica, ex vocabulo graeco et latino, similibusque,* hybrida, *non agnoscenda sunt.*»

«Monere itaque volui hocce paragrapho tyrones, ut caveant sibi in confectione nominum »incurrere Criticorum heic censuram.»

224. «*Nomina generica ex uno vocabulo plantarum generico fracto, altero integro composita, Botanicis indigna sunt.*»

Canna*corus* ex. gr.

«Medium inter genera distincta novi nullum; vel enim debet species esse ejusdem, vel »plane diversi generis; una eademque species nec Cannae et Acori simul esse potest.»

225. «*Nomen genericum cui syllaba una vel altera praeponitur,* ut aliud plane *genus*, *quam quod antea, significet, excludendum est.*»

*Cyn*apium ex. gr., *Chamae*buxus, *Pseudo*acacia.

Ex his dimidiam fere partem recentium nominum oporteret expungere.

«Destitere dudum emunctiores a suo *Pseudo*, *Pseudo*, ne quis eos *Pseudo-Botanicos* et »*Pseudo-Baptistas* vocitaret.»

226. «*Nomina generica in* oides *desinentia, e foro Botanico releganda sunt.*»

«Fuit haec terminatio commune et certum asylum pigris, qui quamprimum videre novi »generis plantam, mox enunciarunt nomen.»

227. «*Nomina generica ex aliis nominibus genericis, cum* syllaba *quadam in fine addita, conflata, non placent.*»

«Unde malum istud provenerit, quod Botanici toties unum idemque ruminare velint »vocabulum, ego non capio; exinde interim tantus foetor oritur, ut nauseam creet sanis. »Evolvite Veteres; videbitis eos omni theoria destitutos ante mille annos longe castiores fuisse.»

«Quae jam sint nomina generica non aliqua methodo adulterata? invenit luxuries infinitas »terminationes quibus tegere voluit errores, dum aliae terminentur in *ella*, aliae in *ulla, ulus*, »*ellus, ula, aster, astrum, istrum, ium, aria, arium*, et sexcenta alia. Heu prisca fides!»

«Sitne adeo difficile nova conficere nomina? Sitne religio, Veterum superflua recipere »nomina, certisque sedibus ligare? Ut pauperrima necessitas ad consarcinanda nomina nos »cogat summa.»

«Sitne hoc facilitare difficultatem retinendi nomina? Ego prae me fero, fassique sunt et »alii, quotquot interrogavi juvenes non hisce innutriti erroribus, haec nomina diversa con»fundere, ut ne vix ac ne vix quidem memoria ulla teneantur.»

Quid expressius? vitiosa nomina omnia respuere Linnæus jubet; enimvero peroptandum esset ut omnia ea, quae nostra aetate etiam plus molestiae nostris tabulis systematicis quam tempore Linnaei afferunt, rejicerentur; at, ne ejusmodi instauratio in ultimam confusionem nos injiciat, universalem eam esse oporteat, universum scilicet regnum tam animale quam vegetabile amplecti: sed restitutores tanti captus quanti fuit Linnaeus heu! non singulis saeculis oriuntur; quamdiu vero non universalis potuerit fieri instauratio, praestabit, in utilitatem nostrae scientiae, probata, utut sunt, conservare, potius quam hic illic novare quae posthac forte forent antiquanda.

c

228. «*Nomina generica* simili sono *exeuntia, ansam praebent confusionis.*»

«Non dicam quam magna, imo saepius summa, inter genera ipsa, quae idem nomen ge- »nericum adulteratum gerant, sit diversitas: sed modo cum Cæsalpino exclamabo: *confusis »nominibus omnia confundi necesse est.*»

«Si modo ulla ratio, ulla caussa, ulla nota plantis inscripta hanc non aliam, *oides* non »*ellam*, non *astrum*, *astrum* non *astroidem*, *astroidem* non *astriformem* urgeret, postularetve, »victas quodammodo largirer manus: quae cum omnino nulla sit, valet consequentia: absur- »dum scilicet esse, quod absque ratione factum.»

«Cavendum etiam est, ne plura conficiantur nomina similia, vel unica modo alterave »litera diversa, vel sono simillima, licet radix vocis diversissima desumeretur: nullus non »novit, quanta hinc difficultas oriatur apud Tyrones.»

Quis credat has leges jam ante hos centum annos promulgatas esse!

229. «*Nomina generica, quae ex* graeca *vel* latina *lingua radicem* non habent, *rejicienda sunt.*»

«Utatur propria lingua singula natio, conveniant modo inter se Botanici, ut de una »eademque scientia, sic et de una eademque lingua, ut junctis viribus extruere queant in- »ceptam turrim, ne haec, ut Babylonica quondam, imperfecta relinquatur jubentibus et vo- »lentibus singulis propria aliisque incognita lingua.»

«Non inficias eo, quin unaquaeque natio sua propria retineat nomina plantarum, sed, »ut conveniant in latinis Botanici docti omnes, est quod voveo: cum vero hoc non fecerint, »ostias pulsitare barbariem praevideo.»

Heu nimis verum vaticinium! Habemus nunc nomina hebraica, sinensia, sanscrita, germanica, anglica, gallica, imo fictitia in latinos sonos desinentia. Oh barbariem! Credasne Fromia ex anglica particula *from* esse derivatum: ab uno disce omnes.

230. «*Nomina generica plantarum cum* Zoologorum *et* Lithologorum *etc. nomenclaturis communia, si a Botanicis postea assumpta, ad ipsos remittenda sunt.*»

In hoc paragrapho primum posuit eam Linnaeus de prioratu legem quae exinde sancta inter rerum naturalium cultores semper habita est. Itaque ipsa illustrissimi nomenclaturae emendatoris verba apponam:

«Cum quis in proprium usum trahit, quod alterius est, furtum committit; male itaque »agunt Botanici, Zoologici vel Lithographi, dum sibi invicem propria auferunt, illegitima »methodo.»

«Retineat quisque suum; quique prior fuit tempore, prior sit loco.»

«Restituantur itaque nomina, a Botanicis posterius assumta, adque suum forum re-»mittantur omnia, nisi de quibusdam circa tempus possessionis ambigeretur; tum forte in »Botanicis retineri possent, si superflua essent in altero foro.» Exemplia gratia: Taxus, Acanthus, Oenanthe, Phalaris, Phoenix, Urtica, Ranunculus.

«Sunt qui putant res egregie distinctas esse duabus modo literis in fine mutatis, quae »declinatae magis confundunt.»

Acanthus, Acanthis; Buglossum, Buglossus; Spina, Spinus; Ochrus, Ochra; Spergula, Spergulus; Muscus, Musca; Cynoglossum, Cynoglossus; Lamium, Lamia etc.

231. «*Nomina generica cum Anatomicorum, Pathologorum, Therapeuticorum, vel Artificum nomenclaturis communia, omittenda erunt.*»

Ex. gr. Astragalus, Auricula, Eschara, Hepatica, Sagitta.

Haec nomina nunc universo usu valent; sed revera melius omitterentur.

232. «*Nomina generica* contraria *speciei alicui sui generis, mala sunt.*»

Ex. gr. Pilosella glabra, Holosteum molle, Convolvulus erectus.

Tales quidem denominationes incommodis ejus generis obnoxias evitabis sane, si sapias; eas vero omnino respuere, nimia mihi videtur severitas; exinde enim nulla superesset ratio inveniendi nomina satis idonea, et mutanda essent generica nomina, quoties inveniuntur species quarum characteres cum generico nomine non concordant; quin mutatio etiam tum fieri deberet cum species praecipua generis signa, quae non semper neque necessario propria nominis generici significatione continentur, indueret.

233. «*Nomina generica cum classium et ordinum naturalium nomenclaturis communia, omittenda sunt.*»

Hac occasione animadverto recentiores licentia familias nomine unius ex earum generibus appellandi mirum in modum abusos esse, et leges de prioratu saepius violavisse, cum nullam nominum, familiis ab antecessoribus inditorum, rationem habuerint, qui, sub alienigenis denominationibus, nonnullarum familiarum characteres saepe probeque depinxerunt: ex. gr. Illiger, Cuvier, Latreille pluresque alii.

234. «*Nomina generica e rebus domesticis similibusque Diminutiva, minus placent.*»

«Difficultatem et laborem conficiendi nomina generica vario modo facilitare excogitavit »segnities: quae, cum praevideret rudia omnino, et absurda nomina mox se proditura, levi »flexura ad finem posita barbariem occultare voluit, censoremque eludere. Quis non rideret,

»si plantam vocarem Calceum, vel Lupum; sed si diminutivum fiat, non omnes capiunt? »dicatur itaque *Calceolus* vel *Lupulus;* egregia ratio! optimum asylum!»

«In *us* itaque terminata diminutiva mala sunt omnia, cum *Lupulus* et *Calceolus* sint ab- »solute aequivoca, et intelligi possint de parvo Lupo, et parvo calceo.»

«In *la* vero potius admitterem, quatenus minus aequivoca, ut in *ula*, *ella*, *iola*, modo »non ab alius plantae nomine diminutiva facta.»

235. «*Nomina generica adjectiva substantivis pejora sunt.*»

«Non dixi nomina haec adjectiva absolute excludi, sed tantum statui ea reliquis inferiora »censeri debere.»

«Et quamvis coacti fere simus retinere Veterum imposita, ne vel nimiam videremur in- »troducere mutationem, nimisque rigidi esse rerum censores, per nos persistant haec dudum »confecta: tamen quod ejusmodi in posterum non effingantur, est quod monemus.»

En vere circumspectum et ad reformationem, quam ipse exsecutus est, scientiarum vere idoneum! Et hodie quidem, cum talis reformatio iterum necessaria facta sit, imitari ejus exemplum debemus, et omnia probandis saltem generibus, a recentioribus proposita nomina, etiamsi ad leges Linnaei concepta non sint, modo possint pro ratione extensionis quam istae leges hodie vindicant probari, rata habere.

236. «*Nominibus genericis non abuti decet ad Sanctorum, hominumque in alia arte illustrium memoriam conservandam, vel favorem captandum.*»

Tantâ reverentiâ scientiam ante omnia sibi dilectam in hoc paragrapho colit Linnaeus, ut non possim quin integrum eum cum ipsis ex intimo animo manantibus verbis referam.

«Seram qui obtinuit nominis sui apud Posteros gloriosam et honestam memoriam, illum »dico summum honorem obtinuisse, quem mortalis exoptare queat, usque dum major mihi »demonstretur ullus alius. Pretium et acquirendi difficultas pendent ita a se invicem, ut sepa- »rari nullo modo queant; leviter enim sani et dementis esset aureum pro obolo objicere; fri- »volum esset, nomen cujusdam plantis inscribere aeternis literis in perpetuam memoriam »levissimam ob causam.»

«Debet itaque is, qui immortalem hanc affectatur gloriam, eam sibi comparare studio, »labore, sudore per maximam vitae suae partem.»

«***Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.***»

«Hanc dare aeternam nominis gloriam non dependet ab unius Botanici, non a dantis vel »offerentis facilitate; sed confirmari debet a viventibus et futuris Botanicis omnibus, qui juste »revocare possunt, quod injuste datum.»

«Quis alioquin non studeret ab aliquo Botanico tantam sibi redimere nominis gloriam? »Quisnam tandem Botanicorum non, ut hanc offerret, exoraretur a Magnatibus?»

«Obstupesco, certe dum adspicio qua audacia, quaque temeritate *Petiver,* ut alios taceam, »Hortulanis, Monachis, Affinibus, Amicis, similibusque splendida nimis pretiosa infantibus ob»jecerit aurata dona; haec data nulla sunt, nisi risus et fabula posteris.»

237. «*Nomina generica* poëtica, Deorum *ficta,* Regum *consecrata, et eorum, qui Botanices studium promoverunt, retineo.*»

In hac occasione Linnaeus gratum animum juste testatur in eos omnes qui scientiarum naturalium progressum quavis ratione, seu per institutos (botanicos) hortos, musaea, bibliothecas, seu per susceptas peregrinationes, editos libros tabulis instructos, alia id genus adjuverunt. Eos *intra forum nostrum* jure recipit.

«Debemus itaque nos gratum testari animum, ut intra forum nostrum in recenti peren»nique memoria istos retinere Viros, qui salutem reipublicae nostrae promoverunt; hi licet nec »verbum, nec observationem ipsi communicaverint, tamen per alios aptos ista nobis attulere »observata, quae Magnatum liberalitate destituti, apti praestarent nunquam.»

238. «*Nomina generica ad Botanici bene meriti memoriam conservandam constructa, sancte servo.*»

Ingeniosissime titulos Botanicorum, quibus is honor habitus est, data occasione memorat Linnaeus; singulos enim viros ipsis plantarum, quibus proprium cujusque nomen inditum est, characteribus designat; eam vero quae ipsius nomen accepit per jocum ita demum describit:

«*Linnaeam* dixit Cel. Gronovius plantam Lapponicam, depressam, vilem, neglectam, »brevi tempore florentem, a consimili suo Linnaeo.»

Quam poëtice depingit deinde inopiam, pericula in quae nonnulli scientiae studio inciderunt: De se ipse loquens ex. gr. «Ego juvenilibus in annis introeo deserta Lapponiae, linguae »et moribus Lapponum non addictus, victio absque pane, et sale; sola aqua et carne; vitae »subeo discrimina in monte Skula, in Finmarkia, montibus glacialibus, a naufragio, inter »nebulas; pedestri itinere sylvas et Alpes pertranseo, ut modo plantas legam pauperrimae »*Florae Lapponicae.*»

«*Scheuchzerus* (inter Helvetos quam celeberrimus) dimittit commodam professionem, ut »in Alpibus exclamaret, non omnibus volupe esse anhelos aeriosque conscendere, vel etiam »superare montes, multa pati rerum ipsius quoque sanitatis et vitae discrimina; vincere

»famem, frigus, aestum, pluviam, saxa, lassitudinem: quae omnia uno saepe eodemque die »fuere obvia, et in itinere Alpino sese haud semel exhibuere gustanda.»

«*Tournefortius* redux gloriatur se Alpium juga, Pyrenaeorum saltus, Hispaniae recessus, »Lusitaniae ericeta, Belgii prata, et Britanniae colles peragrasse: vix vero efflavit, antequam »se beatum prædicat, quod mox potuerat, dimittere suam professionem, committere se spu- »manti mari, Turcis, Barbaris; milleque incurrere in discrimina, ut modo plantas legeret.»

«*Rumpfius* rejicit summam sibi oblatam fortunam: incommoda subit omnia, ut Amboinae »rariora naturae colligat, examinet, et describat, licet oculi inde caecutiant, licet senex in »atra nocte vivat ad mortem.»

«*Plumier* ter adit Americam, toties se bis infido Neptuno objicit, toties difficultates sum- »mas maris, climatis mutationes, etc. vili facit, modo plantas colligat; nec hisce contentus, »quarta vice adgreditur, perit.»

«*Marcgravius* non contentus Americanis spoliis, et Africam exhaurire tentat, ubi perit.»

His honorem quem aemulis systematici auctores, nominibus eorum novis corporum orga-nicorum generibus impositis, praestiterunt, approbat. Quanto ingenii acumine tetigisset in-geniosissimus ille Hyperboreus eam qua recentiores istis honoribus dignos indignos cumularunt prodigentiam! Verumtamen quot homines clarissimi aequalium reverentiam meriti sunt, digni-que sunt quorum memoriam posteri pie colant. Caeterum probe indicavit Linnaeus qua cau-tione in delectu talium nominum uti debeamus, qua de re multa disserit.

259. «*Nomina generica, quae* citra noxam *Botanices imposita sunt, caeteris paribus, tolerari debent.*»

«Nomina generica plurima sunt a Patribus Botanices ante secula imposita, per secula »deinde plura recepta et usitata, quorum derivationes, origines, et radices aeque nos latent, »ac quibusnam plantis primitus fuerunt imposita: nihilominus haec in Botanicis tamdiu trita »retinenda puto, ni totalem scientiae reformationem introducamus: haec enim nomina in Re- »publica Botanica valent, et valebunt, ut nummi ex consensu dantis et accipientis, modo »nullam cum aliis pariant confusionem; modo non nimis absurda per se sint.»

«Recentiori aevo confecta nomina etiam perferam, modo nec haec absurda sint, cum »sperare fas non sit, quod nomina omnia notam essentialem plantae gerant.»

Sed antiqua illa nomina saepius incommode adhibita sunt, utque nonnulla generum nomina, qualia sunt Elephas, Canis, Hyaena, Felis, probari possunt, sic alia pravum usum ipsa arguunt; talia sunt graeca nomina designandis e novo orbe animalibus adhibita, ut ex. gr. generica Cebus, *κῆβος*, Dasypus, *δασύπους*, etc.

240. «*Nomina generica, quae* Characterem *essentialem, vel* faciem *plantae exhibent, optima sunt.*»

«Dantur etiam inter nomina Botanica aeque gradus praestantiae, ac unquam debilitatis. »dum inter ea quae selectiora, alia bona, alia optima existant.»

241. «*Nomina generica* Patrum *Botanices, Graeca vel Latina, si bona sint, retineri debent, ut etiam* usitatissima *et* officinalia.»

Cum hac Linnaei consentit ista regula Raji: «Quam minimum fieri potest innovandum, »neque mutanda nomina communi usu recepta, et in Medicorum scriptis frequentata, eorum»que significationes ad confusiones et errores vitandum; norunt in historia plantarum vel »mediocriter versati: quantas in eadem tenebras, quantam incertitudinem nominum multi»plicatio introduxerit.»

242. «*Nomen genericum* Antiquum *antiquo generi convenit.*»

«Si genus a longo retro tempore cognitum, et vel ipsi vulgo notissimum, absolute erro»neum nomen gereret, expungatur: attamen discedentis locum non occupet novum aliquod, »singulare et inadsuetum nomen; sapit enim haec innovatio, praesertim apud vulgum, fasti»dium, imo vel essentialem foveret notam. Potius itaque duco, antiquum quoddam, aeque »ac genus omnibus notum, surrogare in prioris locum, modo tale superfluum sit; et si tale »inter hujus synonyma non obtineatur, ad maxime affinis et proximae plantae synonyma con»fugiendum.»

243. «*Nomen genericum dignum, alio licet aptiore,* permutare *non licet.*»

«Si genus aliquod constitutum, nomenque generi impositum sit, debet hoc nomen per»sistere (modo non absurdum), nec novis, licet melioribus, permutari; alioquin nunquam »fixa et certa fierent nomina; dies enim semper diem docet, et inventis inventa addere facilis »res est.»

244. «*Nomina generica, quandiu* Synonyma *digna in promptu sunt, nova non effingenda.*»

«Ne aliquis pruritus ad nova excogitanda et introducenda nomina Botanicos duceret, »statui nova non effingenda esse, quamdiu synonyma suppetant.»

«Onerata enim est Botanica dudum tot superfluis nominibus, ut superflua superfluis cu»mulare vix e re sit ulla. Si itaque receptum nomen in genere aliquo, absolute erroneum, »perdurare nequeat, novum tamen non introducatur, si in tota synonymorum phalange uni»cum supersit vacuum, et per se bonum.»

245. «*Nomen genericum unius generis, nisi supervacaneum, in aliud* transferri *non debet, licet eidem aptius competeret.*»

«Primi Restauratores Botanices, ut *Matthiolus*, *Columna*, *Caesalpinus, Dodonaeus*, »*Clusius*, etc. pro aris et focis de nominibus disputarunt; dum alter nomen Theophrasti et »Dioscoridis ad hoc genus, alter vero ad longe diversum traxit; quod si aliquis demonstrare »quodammodo posset, debuit planta hoc, non aliud, tenere nomen. Nostro autem, quo vivi- »mus aevo, longe aliam defendimus theoriam, dum dicimus nomen, quod primnm huic generi »a Systematico aliquo fuit impositum, persistere debere, si bonum; et si vel Dioscorides, vel »Theophrastus, vel Hippocrates, vel tota Patrum authoritas Lysimachiae nomen alteri plantarum »generi imposuisset, quam cui Tournefortius adscripsit, eorum in gratiam hodie istud non »mutaremus; sed debent nunc Patrum nomina aeque cito, ac aliorum, synonymorum intrare »phalangem; et certe si haec non observaretur regula, major fieret hoc tempore confusio »nominum, quam erat seculo decimo-quinto.»

246. «*Si genus receptum, secundum jus naturae et artis, in plura* dirimi *debet; tum nomen antea* commune *manebit* vulgatissimae *et officinali plantae.*»

«Varia nomina plantis imposuere Veteres, rarius observantes genera. Systematici nullo »habito respectu ad Veterum divisiones, quae fructificatione convenerunt, ad idem genus »idemque nomen commune reduxerunt; reliqua omnia nomina ejecerunt. Cum haec reductio, »secundum assumta principia systematica artificialia, saepe erronea evaserit, diviserunt iterum »haec genera recentissimi Systematici secundum principia naturalia in plura, tumque revocata »fuere prius expulsa nomina: quae, si aliis, quam olim, nunc connecterentur plantis, inex- »tricabilis inde oriretur confusio.»

247. «*Nomina generica Graeca* Latinis literis *pingenda sunt.*»

«Nomina generica plantarum, licet e graeca lingua confecta sint, vel mutuata, tamen »in commerciis Botanicis pingenda romanis literis: minime vero graecis exprimenda cha- »racteribus.»

«Eandem significationem habebunt haec nomina Graeca latinis characteribus expressa, »ac si propriis exprimerentur literis: sed longe facilius leguntur, et scribuntur a graecae »linguae minus, quam latinae adsuetis.»

«Uniformia tandem evadunt omnia, graeca cum latinis, nec ut barbara visu tyrones »absterrent.»

«Receptum etiam fuit omni aevo, ab omnibus fere Botanicis, immo et eloquentissimis »quondam Romanis, a *Plinio* et aliis graeca nomina latinis literis pingere.»

248. «*Nominum genericorum terminatio et* Sonus, *quantum fieri possit, facillitanda sunt.*»

«Cum Nomina generica conficiuntur, ut enunciatu sint facilia, et grata omnibus, quan-
»tum licet, studendum; sunt enim bene multa introducta, quae quoad radicem vocis, adque
»verborum constituentium selectum inter primaria facile judicarentur, quoad effatum vero
»adeo insolita, rigida, et dura, ut cuique horrorem solo sono incutiant.»

Si quando rerum naturalium investigator, in antiquis litteris parum versatus, nova genera condere voluerit, quid impedit quin philologum adeat, eumque consulat, ne nomenclaturam gravet nominibus, quae serius ocius erunt expellenda. Ipse enim, cum excuterem *Nomenclatorem Zoologicum* meum, miranda sane inveni. Quis suspicaretur ex. gr. in genere *Azinecera* latere radicem ἀξίνη, scribendumque esse genus *Axinocera; Azinephora = Axinophora; Lozogramma = Loxogramma; Lozopera = Loxopera; Andrena = Anthrena; Adelges = Athelges; Senogaster = Stenogaster; Senometopia = Stenometopia.* Videantur istorum generum auctores ne appellare quidem graecas litteras valuisse, cum ξ et ζ, δ et ϑ, σ et ς confundant. Alias videmus genericorum nominum radices, tanquam indeclinabilia substantiva, ordine saepius inverso, agglutinatas. *Ornismya, Myscebus* pro *Myiornis, Myocebus* etc. — Alio in loco genus *Ancyloceras* prava pronunciatione *Agkuloceras* scriptum est, *Argyrius* (ἀργυρεῖος) genus in *Argyreio*sus mutatum, *Agenius* (ἀγένειος) in *Ageneio*sus. Felices rerum naturalium cultores, quorum systematica opera litterati viri non legant! —

249. «*Nomina generica* Sesquipedalia, *enunciatu* difficilia, *vel* nauseosa, *fugienda sunt.*»

«Atro carbone notabo nomina quaedam, mala nobis dicta, licet cum aliis nullis con-
»fusionem crearent, licet optime per se essent constructa; haecque triplicia: *Sesquipedalia,*
»*Difficilia*, et *Nauseosa.*»

Multas paginas recentibus nominibus in sex, septem, pluresque syllabas protensis possem implere: at ipsa pronunciandi difficultate feliciter factum est ut nemo ea assumpserit: talia sunt, ex. gr. *Agathopholidophides, Brachyancalopteni, Phyllopodochelones, Stenostomataspistes, Chalinipholidophides, Bdalsipodobatrachi.* In his similibusque nominibus conjuncta sunt tria vitia quae vel singula nomen, Linnaeo judice, spurium reddunt.

250. «*Nominum genericorum loco* terminis artis *abuti, inconsultum est.*»

«Paucis ultimo meminisse sufficiat nomina generica a terminis artis nostrae mutuata,
»quae cum a doctis Botanicis admodum paucis, si ullis, assumta fuere, sicco pede ea per-
»transimus; quid Empirici, qui terminos artis et systematis leges ignorant, faciant vel non
»faciant, flocci facimus.»

«Qui vero haec sub Antiquitatis patrocinio defendere tentarent, sciant Veterum sapienter »facta imitari, male autem facta evitare.»

251. «*Nominum Classium et Ordinum cum Genericis par est ratio.*»

«Ut Genus se habeat ad species, ita Ordo ad Genera, et Classis ad Ordines. Dicitur ita»que Classis *Genus Summum*, Ordo seu sectio *Genus intermedium*. Nil itaque differt Nomen »Ordinis vel Classis, praeterquam quod haec muta sint in plantae enunciatione: Generis vero »nomen sonorum, subeunt itaque nomina Systematica easdem cum generibus leges; debent»que proin esse *propria* § 213, 214, 217, constare *verbo unico* 215, 221, *eodem* 216, *non* »*primitivo* 220, *non hybrido* 223, 224, 225, 226, 227, *non barbaro* 229, *non aequivoco* 230, »231, *non contrario* 232, *non a Viris dicto* 236, *non sesquipedali* 249, sed *facili* 248.»

252. «*Nomina Classium et Ordinum e* Viribus, modo nascendi, foliis, *similibusque petita, mala sunt.*»

»Quum haec nomina nullam subministrent characteris ideam, et hinc neque character »nominis ideam, mala sunt, et difficilia.»

253. «*Nomina Classium et Ordinum notam* essentialem *et* characteristicam *includant.*»

«Cum systemata tot, tamque multa diversa prodeant, quae singula proprium et a reliquis »diversum agnoscunt fundamentum, ne memoriam mentemque nimis gravent, debent ideae »classium et ordinum subministrare nomen, et nomen ideam, id est connexa esse inter se »haec duo, idea et verbum, quo facto omnium facillima evadunt, nec memoriae deinde tanto »oneri.»

254. «*Nomina Classium et Ordinum*, a plantae *cujusdam nomine desumta, sub quo integram cohortem intellexere Veteres, in genere exclusa, classibus naturalibus tantum inserenda sunt.*»

«Cum Systemata artificialia construimus, principium aliquod assumimus pro lubitu, se»cundum quod nostras divisiones facimus, adeoque faciles in his characteres. faciliora proinde »nomina essentialia. At in Systemate Naturali longe difficilius et eruuntur essentiales cha»racteres, et eorum nomina essentialia; puto itaque in his perferenda esse nomina, quae »nullam cum Systemate servant combinationem. Haec enim nomina non adeo multa erunt, »nec ex conceptu Botanici mobilia, sed omnibus eadem; aliter se habet cum hypotheticis et »artificialibus nominibus.»

Plerique omnes hodie familiam designant electo praecipui ex ea generis nomine, quod peculiari desinentia insigniunt; attamen hac ratione frequentissime abusi sunt auctores systematici recentiores.

255. «*Nomina Classium et Ordinum* unico *constabunt vocabulo.*»

«Unico constabunt vocabulo, ut memoriae faciliora, utque uniformia evadant; quo pluri»bus enim constant vocabulis, eo imperfectiora sunt, et a proprietate nominis magis recedunt, »usque dum in definitionem transeant; sint itaque verae Classes, certae definitiones, appro»priata nomina.»

Cum non agatur in hoc Opere de specierum nomenclatura, leges quas de speciebus praescripsit Linnaeus, praetermittam. Aliquot duntaxat adnotationes de nomenclatura binominali Sueci Instauratoris addam, quae opportunum locum postmodo invenient.

Attamen intra propositum stare mihi viderer, ni aliquot recentes regulas quas, a viris inter doctos praestantissimis propositas, Britannica promovendis scientiis instituta Societas, quo finem grassanti in zoologica nomenclatura confusioni imponeret, auctoritate sua sancivit, in examen vocarem. Et criticum quidem istarum legum examen eo magis mihi videtur necessarium, quod nonnullae, cum contra Linnaei praecepta peccent, haud sane doctorum e continenti approbationem laturae sunt, et cavendum est ne, si ab his accipiantur, ab illis rejiciantur, nedum tollant, imo potius confusionem augeant. Imprimis tamen confiteri debeo leges a doctis Anglis propositas ex ipsa Linnaei mente in universum esse conceptas, eumque qui sententias eorum scripto tradidit, doctissimum Stricklandium, conficiendo operi summam diligentiam summamque eruditionem impendisse. Nihilominus nonnulla ex novis istis praeceptis videntur mihi, ut proxime significavi, antiquanda [1]. Hae sunt leges, quas, quoties cum Linnaei praeceptis consentient, absque annotationibus referam.

§ 1. *Nomina a conditore generis aut a speciei depictore primitus indita, semper sunt, exclusis posterioribus synonymis, servanda.*

Etsi primus nomenclaturam ad leges exactam condidit Linnaeus, quam plerique omnes rerum naturalium investigatores amplexi sunt, ipse tamen, nedum nova ubique nomina conflaret, omnia ab antecessoribus data nomina, modo in ejus Systema recipi possent, retinuit.

---

[1]) Clarissimus Gould in *American Journal of Science and Arts* optimas edidit de ea re observationes quarum plerasque, cum meis scilicet consentientes, approbo.

Igitur sequens praeceptum ab exemplo, quod Linnaeus ipse dedit, et ab ejus praeceptis § 239 et 241 supra relatis, evidenter dissidet.

§ 2. *Cum binominalis nomenclaturae Linnaeus sit auctor, illa de prioratu lex ad anteriorum auctorum opera non est retorquenda.*

Una mihi cautio videtur adhibenda, ut scilicet nomina a Linnaeo sancita prae aliis omnibus rata habeantur. Linnaeus ex. gr. pauca Echinodermatum genera recipiebat; hodie vero permulta in hac classe censentur, quorum in numero nonnulla ex iis quae Kleinius, Linkius, Breynius, Linnaeo longe anteriores, condiderunt, inter genera Van Phelsi, Lamarkii, Milleri recentiorumque locum obtinuerunt. Nemo quippe malit nova his generibus nomina cusa fuissent, potius quam antea jam probata in usum essent iterum assumpta: nullam certe causam video cur non liceret priorum auctorum nomina, cum Linnaei genera dividimus, ad vitam revocare.

§ 3. *Semel statutum generis nomen, non erit, si forte genus ipsum in plures partes dividatur, antiquandum, sed uni ex partibus, angustiore sensu, accommodandum.*

Haec lex a § 246 Linnaei non discrepat.

§ 4. *Nomen illud genericum semper ei primitivi generis parti, quam typum generis auctor habebat, reservandum est.*

§ 5. *Cum primitivi generis typus non satis notus est, illi auctori qui primus id dividet, licebit primitivum nomen cuilibet generis parti assignare; nemini vero in posterum licebit ad aliam divisi generis partem transferre.*

Hae duae leges necessariae factae sunt, ex quo antiqua genera in infinitum dividi coepta sunt.

§ 6. *Si quando duo auctores unum idemque genus constituant nominentque, ita ut iisdem finibus id circumscribant, recentius nomen plane delendum est, et ne affini quidem sensu conservandum.*

Haec lex abhorret a praecepto § 244 Linnaei, qui expresse dicit; «*Nomina generica, quamdiu synonyma digna in promptu sunt, nova non effingenda.*» Itaque antiquanda est; idque eo magis quod doctus Britannus in sequenti paragrapho, qui propterea supervacaneus et ipse mihi videtur, non omnino negat fieri posse ut talia nomina conserventur.

§ 7. *Si tamen ex variis illorum generum sectionibus typos suos elegerint isti auctores, eaeque sectiones ad dignitatem generum posterius latae fuerint, tum ambo generica nomina, angustiori sensu, signandis his novis generibus licebit conservare.*

§ 8. *Cum recentius genus ita circumscriptum est ut duo plurave prius statuta genera complectatur, recentius nomen plane delendum est.*

Haec lex ex ea, quam de prioratu memoravimus, sponte consequitur; nec impedit tamen quominus lex § 244 Linnaei sua jura servet.

§ 9. *Cum genus ex pluribus arctioribus, quae non possint jus suum obtinere, generibus conflatur, antiquissimi ex his nomen, modo probabile sit, composito generi, latiore interpretatione, tribuendum est.*

Et hoc praeceptum ex prioratus lege consequitur.

§ 10. *Omne nomen, nuper receptum, antea vero designandis aliis seu in Zoologia seu in Botanica generibus aut cuivis ejusdem generis speciei jam propositum, erit, si genera speciesve retinendae sint, sine dubio mutandum.*

Haec lex eadem est atque § 217 Linnaei; si quis tamen reputaverit dimidiam fere partem genericorum nominum in nostra aetate inventorum, sanciendae illi legi esse immolanda (quod quidem ex ipso hoc opere exploratum habebis), non ita prompte, credo, persuadebit sibi promulgatam in proximum tempus illam legem tam vere utilem fore promovendae scientiae quam tempore Linnaei fuit. Sed sententiam meam fusius exponam infra.

§ 11. *Mutare licet nomen, quod sit pravo sensu praegnans ideoque graves errores possit propagare.*

Quanto minus ea licentia uteris, tanto melius erit, quippe quae in libidinem vertere facile possit.

§ 12. *Delendum est nomen quodcumque nunquam in edito opere perspicue definitum fuerit, in ejusque locum illud subjiciendum sub quo genus, aut species primum recte descripta est.*

Haec lex pernecessaria facta est, ex quo quicumque res naturales venales proponunt, coeperunt collectaneorum catalogis auctoritatem librorum arrogare, et jubent auctores nomina, quae divendendis speciebus indiderint, recipere. Eadem ratio est nominum quae in privatis publicisve collectionibus inedita manent, et quibus possessores aut praefecti prioratum nonnunquam vindicant. Imo nemini concedendus erit prioratus ante quam ipse opus, quod ad omnes per universum terrarum orbem cultiores homines possit pervenire, ediderit. At quanto strictius oportet hanc legem, quoties agitur de doctis viris propriarum investigationum summam edentibus, observare, tanto magis decet impudentibus parasitis infamiam inurere qui musea circumeunt, materiam opusculis, nulla mentione facta fontium unde praedam hauserunt,

compilantes, et nonnunquam vel specierum quas furtim describunt, nomina sibi vindicant. At sordidum istud plagiariorum genus feliciter in agro nostro non pullulat.

§ 13. *Nomen specificum imponere novum ei speciei refert, cujus pristina appellatio generi, ad quod ipsa pertinet, attributa est.*

Haec lex probanda mihi videtur; non enim decet genus et speciem eodem nomine signare.

§ 14. *Systematica nomina ex legibus latinae orthographiae scribenda sunt.*

Haec lex cum praecepto § 247 Linnaei consentit: qui vero impedies quominus illi, qui nec latinas nec graecas litteras docti, nemine consulto, nomina cudere volunt, absurdissimas in lucem edant copulationes. Et ille quidem pruritus nunquam desinet grassari, nisi omnes isti barbarismi severissime rejiciantur, eaque nomina ex legibus § 229 et 211 Linnaei, et interpretatione ab ipso auctore data, castigentur.

Praeter istas leges, opus citatum nonnulla continet de emendanda in posterum nomenclatura consilia, quorum summa haec est:

A. Jam primum eam legem comprobat quae jubet nomina a latina graecave lingua derivata et essentialem characterem rei quam designant exprimentia caeteris anteponere.

a) *Geographica nomina, ut non plane approbanda sunt, ita neque omnino excludenda.*

b) Docti Angli approbant usum *peregrinorum nominum in latinos sonos desinentium* idque contra praeceptum § 229 Linnaei.

Non jam omnino damnare ea licet, ex quo tam multa, praecipue inter Hemiptera, introducta sunt; quanquam re vera molestus est is usus.

c) *Patrocinatur etiam nominibus ad artes pertinentibus, modo sint recte electa.* Et hoc praecepto § 231 Linnaei adversatur. Illis quidem quae citat exemplis comprobatur ejus propositio: at cum judicio ea nomina eligere, hic labor, hoc opus; quae tamen si plane prohibeas, omnem viam intercludes pravis. Caeterum ex praecepto § 211 Linnaei, talibus erroribus censura semper poterit adhiberi. «Desideratur etiam a Botanico, ut cum judicio nomina »imponat, nec prima quae in mentum incurrunt. Negamus omnia nomina ab ullo imposita »plantis, nisi sint a Systematicis vel confecta vel confirmata.»

d) *Mythologicorum historicorumque nominum usum, modo sit ille legitimus, consentiente § 237 Linnaeo, probat.*

e) *Comparativa nomina neque probat*, *neque tamen, quod Linnaeus* § 226 *facit, omnino damnat.* Linnaei severitas videtur mihi minus praebere ansam licentiae et confusioni.

f) *Patrocinatur vocabulis e duobus variorum generum nominibus conflatis*, idque nec e mente nec e praeceptis, minime vero e § 224 Linnaei. Non autem ut exempla a docto Strick-

landio citata, ita et permulta generum nomina probari possunt, quae eo modo conflata et tam barbara sunt ut neutiquam recipi possint; ut ex. gr. *Muscylvia* e *Muscicapa et Sylvia.*

g) Hic paragraphus specifica nomina spectat, quae huc non pertinent.

h) *Nomina generica ab insignibus viris mutuata, quae probat in Botanica, parum commendabilia habet in Zoologia.* Quae jam existunt plura sunt quam docti Angli putant: quodsi catalogum generum Dipterorum recenseas, pleraque Zoologorum e postremo seculo et initio praesentis nomina invenies. Enimvero non satis consonum est egregii viri de Scientia optime meriti, nomen cum nomine quorundam brutorum consociare.

i) *Dura parumque elegantia nomina evitare jubet;* quod praeceptum cum paragrapho 248 Linnaei congruit. Non possum tamen quin exempla quae ille profert «Enaliolimnosaurus crocodilocephaloides of a german naturalist» vituperem, cum nemo, quod sciam, ista nomina proposuerit, nec deceat alienigenas falsis criminibus offendere. Caeterum nemo est qui non possit eodem modo lapides in hortum vicini jactare. Qui omnem curam in progressum scientiae sincere intendit, ab aculeis verborum abstinet.

k) *Nominum a Veteribus mutuatorum suadet usum, praesertim si commode recteque usurpari queant.* Ea vero est rei difficultas, et inter animalia e regionibus, quas Veteres notas habuerunt, pauca sane sunt quae nondum nomen acceperint.

l) *Nomina generum adjectiva*, auctore Linnaeo, § 235, *excludit.*

m) *Hybridas voces*, paragr. 223 Linnaei convenienter, *damnat.*

n) *Nomina aliis similiora evitare suadet;* quod et ipse Linnaeus § 228 jubet.

o) *Corrupta nomina omnia jure respuit.* Ista vocabula, quorum pleraque ex duabus mutilis vocibus composita sunt, inter omnia quae unquam rerum naturalium investigatores excogitarunt pessimam praebent copulationem. Vix animo concipimus tantam in litteris sensus hebetudinem, quantam produnt illi qui talia monstra finxere.

p) *Rejicit pariter, et recte quidem, omnia nomina certa radice carentia, praeter euphoniam nihil juris habentia; quippe quae sint ab ingenio linguae aliena.*

q) *Nominum quae synonyma aliorum jam receptorum facta sunt, ne novo quidem sensu usum probat.* Contra Linnaeus ista ad unum omnia nomina, § 244, usurpanda enixe contendit.

r) *Nomen specificum ad dignitatem generis tolli ideo vituperat, quod inde nascitur necessitas novum nomen speciei imponendi.* Hac de re nullam mentionem fecit Linnaeus; cum vero fieri possit ut species aliqua proprium nomen habeat, non intelligo qua ratione praestet novum generi cudere nomen, potius quam specificum nomen generi accommodare, novumque ad designandam speciem fingere, cum in utroque casu novum nomen creandum sit. Imo

in hac posteriori ratione propterea commodum reperio quod illae species persaepe plures adhuc confusas complectantur, ex quibus nulla jam pristinum nomen specificum retinere jure possit: ex. gr. *Cyprinus Gobio, Cyprinus Leuciscus, Cyprinus Barbus* etc., quae omnes sunt species ejusdem (secundum Linnaeum) generis, et nomina sua totidem recentioribus generibus praebuerunt.

B. Suadent docti Angli generum compositiones, quae familiae dicuntur, uno eodemque modo nominare, electo scilicet inter genera ejusdem familiae eo quod aut aetate aut maxime typicis characteribus antecellit, additaque terminatione *idae*, partes vero familiae, quae subfamiliae vocantur, eodem nomine in terminationem *inae* desinente designare.

Hoc praeceptum omnibus de prioratu legibus, quae suum cuique sanciunt, plane adversatur: enimvero familiam bene definire beneque describere multo difficilius est opus multoque majore pretio dignius quam speciem distinxisse. Primitivorum igitur jus nominum, sub quibus familiae distinctae sunt, quo auctoribus earum suum reddatur, semper vindicabo, et summa opum vi nitar ne qui familias nulla definitione certa comprehensas, electo scilicet quod in typum valeat, genere, terminatione quae ad universum regnum animale uniformis pertineat insignito, ad libitum fabricentur: quid? quod terminationes *idae* et *inae*, non satis recte cum quibusdam radicibus conjungi possunt, ex. gr. Equ*idae*, Cerv*idae*, Mur*idae*, Bradip*idae*, Cercopithec*ina*, Cheirom*ina*, Chrysochlor*ina*, Cynocephal*ina*, Hippopotam*ina*. Nihil vitiosius est quam pleraeque ex terminationibus istarum familiarum, quae in omnes Classes Regni animalis, pleraeque omnes nusquam characteribus definitae, introductae sunt.

C. Nomina specifica, etiamsi a propriis nominibus mutuata fuerint, minuscula semper littera initiali oportebit scribere; generica autem majuscula.

Cujus propositi posteriorem partem nemo in dubium vocabit; prior vero usui ab omnibus rerum naturalium investigatoribus, Linnaeo auctore, observato adversatur. Si quis usum mutare pergat, molestum, idque scientiae inutile, introducet dissidium inter nova opera et ea quae jam prodierunt.

D. Suadent D. V. auctoritati, quae specifico nomini haeret, cum non aeque ad genus pertineat, specialem hanc (sp.) *distinctionem apponere.*

Ex hac lege erit inter genericam denominationem et specificam introducenda distinctio quae, ad hoc temporis nondum recepta, in Anglia tamen videtur fautores invenire. Mihi quidem videtur is usus, si recipiatur, horrendam et immedicabilem confusionem secum invecturus. Persuasissimum mihi est, ex infinita multiplicatione synonymiae nunquam tam multos errores quam ex isto usu novo, si in universum praevaleat, naturos. Cum vehementem inde timorem in posterum concipiam, causas cur eum usum rejiciam fusius exponam.

Et primum quidem animadvertas velim istum usum Linnaei de binominali nomenclatura sententiae adversari, quippe qui ambo nomina systematica animalium et plantarum, genericum scilicet et specificum, arctissime conjuncta et inseparabilia semper habuerit.

§ 284. *Nomen genericum singulis speciebus applicari debet.*

«Quod si vero omittam nomen genericum, ex prolato nomine specifico nulla mihi idea generis, nec nominis specifici usus.»

§ 285. *Nomen Specificum semper sequi oportet Genericum.*

«Quodcunque primam divisionem facit, primum dari debet, adeoque et nomen genericum antequam specificum traditur; meum est scire, antequam distinguo aliquid, quid distinguendum sit.»

§ 286. «*Nomen Specificum sine Generico est quasi campana sine pistillo.*»

«Quemadmodum campana sine pistillo nullius usus est, ita et differentia specifica sine nomine generico. Cum *nomen specificum nil sit nisi distinctio specierum sub suo genere*, nulla dari potest differentia specifica, ubi nullum genus, nisi quis indicaret notam speciei propriam, qua ab omnibus in universum plantis differt.»

Haec satis significant quanti fecerit Linnaeus genericorum specificorumque nominum conjunctionem. Caeterum, quae protulimus verba, usu confirmat Linnaeus, quoties opera aliorum auctorum citat.

Sed ultra progredior, et affirmo nunqam eam fuisse Linnaei sententiam, ut per ejus nomenclaturam constaret rerum ex ea nominatarum inventionem iis deberi qui nomina condiderunt. Ipsa nomenclatura, ex Auctoris sententia, nihil est nisi systematica ratio ad designandas res in *Systemate Naturae* nominatas instituta, nec ab hoc proposito recedere debet: quin expressis verbis sententiam suam, § 323, Linnaeus profert: «Doleo quod nullus Botanicorum, adhucdum cogitaverit de Chronologia plantarum, et quod nullus historiam inventorum in Botanicis dederit; certe, me judice, gratissimum opus praestaret orbi literato, qui plantas recenseret secundum tempora, quibus inventae fuere singulae, et a quibus detectae.»

«Hoc facillimo negotio fieret a Cel. Dillenio, quod publice exoro, qui manum ultimam Phytopinaci Sherardiano imponit, si modo notulam quandam, vel asteriscum adderet post citationem istius Auctoris, a quo inventa, vel detecta fuit primitus species unaquaeque.»

Igitur, ex eo quod quispiam animali aut plantae nomen imposuerit non inferendum est, si Linnaeum audias, eumdem speciem invenisse aut saltem primum descripsisse.

Itaque, quod cautum volunt docti Angli, nemini injuriam feceris, si novae specifici cum generico nomine copulationi, quae quidem a priori compositione differat, novam apposueris auctoritatem. Non falli mihi videor, cum ausim affirmare Linnaeum *Tyrannus crinitus* Lin. *(sp.)*, ut exemplum a Docto Stricklandio citatum referam, expresse recusaturum fuisse. Linnaeus istam speciem in suum genus *Muscicapam* admittebat, eamque in eodem retinuisset, quamdiu de ratione generis Muscicapae in dubium non venisset. Si quis ex Linnaei aequalibus genus *Tyrannus* creavisset, idque auctor *Systematis Naturae* recepisset, procul dubio Beatus Suecus sponte *Tyr. crinitus* Swains., non vero *Tyr. crinitus* Lin. *(sp.)* inscripsisset.

E novo usu a doctis Anglis proposito, id primum necessario consequeretur quod labores, condendis definiendisque generibus impensi, minoris aestimarentur quam specierum distinctio; quae praejudicata opinio, nedum scientiam promoveret, imo potius ejus Zoologiae partis tardaret progressus quae in doctrina generum et familiarum versatur, quae quidem in regno animali multo minus accurate quam in vegetabili depicta sunt.

Sed aliud etiam, quo non potest quidquam excogitari molestius, incommodum ex novo isto annotandi modo nasceretur, cum non posses, nisi per fastidiosas investigationes, primos fontes repetere, et duo synonymorum genera oporteret creare: qui enim possimus in operibus Linnaei, quae de *Muscicapa crinita* ille dixit, reperire, nisi sit quod indicet quem inter genera locum ei Linnaeus attribuerit? Qui vitabis novum synonymorum genus omnibus, quae ad hoc usque tempus exstiterunt, inextricabilius futurum, si quidem exstabit *Tyrannus crinitus* Lin. *(sp.) secundum Swainsonium* et *Tyrannus crinitus* Lin. *(sp.) secundum alterum auctorem*, qui novam, *Muscicapae crinitae* vicinam, speciem cum vera *crinita* cunfuderit. Tum oportebit scribere *Tyrannus crinitus* Lin. *(sp.)* Swains. — *Tyrannus crinitus* Lin. *(sp.)* X. etc.: aut, quod et pejus erit, antiqua annotatione ad synonymiam. nova vero ad nomina vere recepta, eaque sola, exprimenda uti oportebit. Tum duo annotandi modi alter cum altero non constabunt, nec quo se convertat cuiquam certum erit.

Et ea quidem incommoda non attenderunt novae istius rationis Auctores; eam enim procul dubio ipsi antiquassent. Quapropter illos oro obtestorque per ipsos scientiae, quam promovere voluerunt, progressus, ut propositum suum deserant, schisma novum in rerum naturalium scientiam non introducant, systema vero Linnaei, simplicissimum illud, et erroribus babylonicaeque in nomenclatura confusioni omnium minime obnoxium, aequo animo repetant.

E. Amplis definitionibus nova genera novaeque species explicentur, et, quantum fieri potest, simulac inventa sunt continuo in publicam veniant notitiam auctores sunt D. V.

Et est quidem, ut sese habet hodie scientia, peroptandum ut peculiare Diarium, statis temporibus edendum, collatis virorum doctorum studiis condatur, in quo, exclusis aliis

argumentis, omnes de nomenclatura et synonymia quaestiones, quae opera describendis speciebus et generibus edita molestissime gravant, disputentur.

F. Suadent in posterum ut, ad designanda antiqui in partes dissoluti generis membra, eligantur nomina quae cum illius nomine, quoad grammaticum genus, congruant.

Haec lex, nisi novus adnotandi modus, cujus incommoda modo ostendimus, receptus fuerit, nullius est momenti; itaque supervacaneam eam esse putamus.

G. Jubent denique D. A. ut, quoties novum definitur genus, etymon nominis apponatur, species autem, quae pro typo praecipuo valere debeat, toties distincte designetur.

Hae cautiones magni quidem sunt momenti, et per eas multis investigationibus abstinere licebit illis qui alicui nomenclaturae operam dabunt, aut genera vocabunt in censuram. Vix mente concipias in quantas, easque molestissimas, deductus sim investigationes, cum cuperem ubique originem nominum in meo *Nomenclatore* recensorum indicare. Facile enim confiteberis, in indicanda 31000 nominum etymologia, non minus impensum laboris quam in amplo dictionario etymologico, nec mirum si multi in hoc opere, ut in primo tentamine humanum est, supersint errores, qui non nisi processu temporis sensim poterunt corrigi. Caeterum aequum est, si qui cupiant ut nomina ab ipsis in scientiam introducta conserventur, nomenclaturam illi suam apposita etymologia confirment: nisi reformidarem reclamationes, multa nomina ex quibusdam auctoribus in promtu haberem, quibus nunquam potui derivationem aliquantulum verisimilem assignare. Ut vides, et nunc quidem nihil erit melius quam antiquis Linnaei praeceptis stare, qui, cum mirandam illam nomenclaturam conderet, fundamenta ejus ex omnibus partibus diutius feliciusque pertentavit, eaque in peculiari opere, *Philosophia botanica*, quod in perpetuum erit progrediendi initium quotiescunque tabulas systematicas in melius mutare annitemur, maxima perspicuitate, et concinnitate amplissimo ingenio digna, posuit.

ANIMADVERSIONES IN NOSTRÆ ÆTATIS NOMENCLATURAM.

Rerum naturalium studium, medio seculo priori, tum Linnaei methodorum simplicitate, tum Buffonii scriptorum mira arte et facundia illustratum, nec non crebris eodem tempore in diversas orbis terrarum partes peregrinationibus excitatum, favente genio liberae indaginis, cui tunc alae succrescebant, et Zoologiam et Botanicam inventis magni ponderis ditavit. Multa genera nova, temporis progressu, fuere constituta; postremo specierum numerus adeo crevit,

ut severiorem ordinem introducturis vel ipsius Linnaei genera recognoscere et saepius sectiones haud paucas inferre necesse fuerit, plus minusve naturae accommodatas. Sic pristinorum Linnaei generum plerorumque ordo est mutatus, eorumque pars major in singularum familiarum naturalium categorias evasere, dum contra species in distinctiones usque accuratiores et severiores incidebant.

Illud reformationis opus aggredientibus haec prima occurrit difficultas, quae nomenclaturam in multas tricas conjecit. Genera ad classes diversas pertinentia, eodem tempore a variis auctoribus sub iisdem nominibus constituta sunt. Nunc operae pretium est scire utrum eis arcte praecepta Linnaei applicanda sint, quae supra memoravimus. Num revera expedit illa nomina mutare, ubicumque duplici usui inserviunt? Annon potest idem generis nomen in animalium aeque ac in vegetabilium regnum simul admitti? Haec quaestio aliter ab aliis soluta est; quorum nonnulli eo severitatis processere ut ea indiscriminatim rejicerent. Ego vero arbitror tantae severitatis incommoda haud levia esse, nec possum intelligere quid in Zoologiae studium utilitatis redundaret, si, vocabulo omnibus rerum naturalium cultoribus notissimo abrogato, aliud arcesseres ob hanc solam rationem, quod in Botanicis ejusdem nominis genus existat. Hodie novi circa tria millia generum quorum nomenclatura ob id ipsum mutanda foret, quod eadem nomina a Zoologicis simul et Botanicis usurpentur. Ne id quidem cerno, quomodo haec mutatio actutum ac recte fieri possit. A tali incepto equidem plane desisto, utpote qui certam, ad tales mutationes summatim et uno tenore patrandas, regulam dispicere non valeam. Jus prioratus, quod alias tam certum est, tamque late patet, applicare in hacce causa arduum esset. Quis enim rem rite auspicari posset, qui non utriusque scientiae fata et litteras penitus teneret? Ad nomen generis tollendum, quod in utroque regno, animalium et vegetabilium, pariter usurpatur, non satis est scire unum aetate prius esse; id Zoologicus perspexerit, utrum genus cujus nomen Botanice vindicatum eat, propterea quod sit in hoc regno aetate prius, revera apud Botanicos sancitum sit, nec ne. Ita enim fieri posset, ut nomine tantum existeret, supervacaneum scilicet esset, aut sectionem referret genericam, quam admittere sit nefas; sicque in Zoologiam esses illaturus nomen novum, inutile, quod alii serius recusare non dubitarent. Puto igitur *generis nomen, ubi loci nunc stet scientia*, in praesenti, *ob hanc unam causam non esse mutandum, quod in utroque regno pariter usurpetur*. Molesta sane sunt duplicis usus illa nomina; magis autem atque magis de medio tollentur, quo plenius nomenclaturae nostrae repertoria omnia nomina complectentur, quae duorum Naturae regnorum historia statuit. Cui satis animi suppetet ad genera animalium omnia uno opere colligenda et recognoscenda, ei Botanicos adire licebit, qui eum docebunt quae nomina duplicis usus Zoologiae servanda, quae vero Botanicis relinquenda sint.

Idem valet de genericis nominibus quae in pluribus regni animalium classibus duplici usui inserviunt; major enim est horum numerus quam illorum quae inter animalia et plantas communia exstant; ascendit enim ad notam vere portentosam decem millium. Quis naturae indagator sanus, hujus rei certior factus, partis prope dimidiae nominum generum, ad hanc diem usque, in Zoologia constitutorum, subitam et integralem mutationem probare posset? Sic quidem tenebrae offunderentur majori parti Operum describendis animalibus et plantis, iconibusque depingendis ad hanc diem usque in lucem editorum; nisi veterem nomenclaturam juxta novam servares, unde non multum quidem memoria levaretur. Monographis est relinquenda cura hanc nomenclaturae partem in dies ad severiorem normam redigendi, id autem ab eis omnino requiratur ut luculentis notis mutationes nominum probent a se propositas; valde enim, ut dixi, scientiae mihi videntur nocere hujus generis mutationes, quae in meris nominum catalogis propter duplicem fiunt nominis usum, quod fortasse olim ex ipsa classe ejicietur quam sibi antiquitatis jure vindicare videbatur. Proferam exemplum: Genus *Alecto* datum est marinae stellae, et vicissim polypo, reptili, avi. Ad reptile designandum hoc generis nomen potissimum est usitatum; at stellam marinam prius quam cetera significavit. Idem vere genus stellae marinae aliud sibi recentius adscivit nomen notissimum, Comatulam, a Lamarckio propositum. Num oportet hoc repudiare, idque nomine Alecto commutare, novaque nomina avi, reptili et polypo indere? Si quis id tentaret, vix, opinor, suum factum approbaret. Verum, praeeunte J. Mullero in *Asteriarum monographia*, redintegretur nomen Alecto generi cui ultimo manere debet, nec quicquam praeterea mutetur; fiat haec restauratio enumerandis omnibus speciebus hujus generis, in Opere ad quod in posterum confugiant quicunque in horum animalium historia operam ponent, id valde mihi videtur consentaneum; at, mea quidem sententia, J. Mullerus suae ditionis fines excessisset, si, hac oblata occasione, nomina procudisset aliis generibus quibus nomen Alecto datum est. Id ab aliis Monographis perficietur, qui, explorata causa, horum generum validitatem stabilient. Sic, suo jure cuique in sua ditione relicto, vitabuntur reclamantium criminationes, et tamen tempore opportuno, singulis allata medela, nomenclaturae reformatio omnibus numeris absoluta procedet. At non semper satis erit, ut in casu praesenti, generum ejusdem significationis in regno animali validitatem perpendere; res eo incidere potest, et talis casus haud pauca exempla adferre possim, ut omne in regno animali nomen multiplici significatione adhibitum, supprimi debeat, quo locus eidem nomini detur in vegetabilium regno; en, ex. gratia, genus *Cuvieria*, quod inter Medusas, inter Echinodermata, inter Crustacea, inter Mollusca, reperitur, quodque revera inter plantas est conservandum, ubi primum apparuit. Quo in casu, Medusarum, Insectorum, Echinodermatum, Crustaceorum, Molluscorumve monographo novum erit fingendum nomen

ad ea genera designanda, si scilicet ubique sint conservanda; at ne sui juris limites transgrediatur, hanc operam ponito tantum in eis quae sunt proprii sui studii.

Cum leges, quas edixere naturae scrutatores de novorum nominum fingendorum ratione, ante jam excusserimus, de hac re loqui supersedebimus. Atqui e re erit inutilitatem vel potius incommoda urgere nimiae in admittendis jam prolatis nominibus severitatis. Si enim indicem universalem percurreris, qui est a calce Operis, ubi omnia nomina, e legibus a Linnaeo praescriptis, vituperanda signis peculiaribus notantur, intelliges acri nomenclaturae castigatione incommodum e frequenti in animalium plantarumque denominationibus mutatione ortum, haud compensari. Me igitur judice, cum praesto sint, admittenda erunt quaecunque nomina aliquam excusationem habent, etsi minus ad amussim facta. Porro leves quasdam mutationes vocabulis adferre suadeam, quotiescunque eorum legitimus usus ista ratione firmari queat, servata auctoritate ejus qui primus ea instituit. Sic *Aelurum* Wagl. scriberem, etiam si Waglerus hoc nomen scribat *Ailurum;* itaque Lacepedio genus *Lepidosteum* tribuerem, etiamsi ipse scribat *Lepisosteum.* Pergerem nomina barbara vel mere euphonica usurpare, etiam si praeter Linnaei praecepta formata sint; et omnibus rerum naturalium scriptoribus sic facere impense suaderem, in omnibus certe Operibus, quibus rem ex parte tantum nec in universum tractant. Ut vero de integro Opere, ex. gratia, de alicujus vel generis, vel familiae, vel classis monographia agetur, mihi videbitur suo jure niti quicunque omnes denominationes mendosas et scientiam dehonestantes e limine pellens, nomenclaturam tantum perfecte castigatam in sua quadra recipiet. Tales mutationes, nedum incommodis tunc obnoxiae sint, ratae et immutabiles haberi poterunt, et nomenclaturam non modo non implicabunt, sed etiam simpliciorem facient, quia talia Opera, si argumentum exantlarunt, codex fiunt, ad quem omnes sine provocatione confugiunt. Talem circumspectionem arbitror me a scriptoribus rerum naturalium nostri aevi, meo quodam jure, requirere posse, utpote qui reformationi universali ab integro viam straverim operosam, incoeptum ea tantum consideratione exsequi nolens, quod mihi videatur cuique facultas esse relinquenda rem ad finem perducendi in regione quam ipse optime noverit.

Valde porro mihi videtur improbandus mos quorumdam auctorum, qui generis cujuspiam finibus vel prolatandis vel coercendis, ejus auctoritatem mutare non reformidant. Mihi quidem quicquam immutari, nisi per adjunctionem, non videtur esse legitimum; ex. gratia, *Perca* Linn. (Cuv.), nec vero *Perca* Cuv.

His praemissis de nomenclatura in genere, singulares addemus animadversiones tum in agendi rationem virorum quorumdam doctorum, qui leges vulgo in Zoologia et in Botanica obtinentes deseruere, tum in usus diversis gentibus proprios.

A viris doctis Scandinaviae Linnaei leges quam religiose observatae sunt; illi intemeratum nomenclaturae, tanti viri auctoritate nixae, archetypum tuentur. Germani itidem et Britanni auctores illarum legum observantissimi fuere. In eorum libris systematica nomina semper in prima acie reperies; imo raro vernaculis utuntur, nisi forte pauca domestica animalia, paucas usus quotidiani plantas, aliasque species nuncupare velint, tam longe lateque notas, ut vulgaris appellatio nulli confusioni ansam praebere possit. In Gallia vero, minus severa est disciplina; gallica nomina frequentius et a pluribus usurpantur, systematicis plerumque plane neglectis; pauci adeo, vel ex systematicis, exstant libri, si recentissimos exceperis, in quibus gallica nomina non sint in prima acie collocata; cujus rei magna proferam exempla, Cuvierii Regnum animale et Lamarckii Historiam animalium evertebratorum.

Inde nata est difficultas, multis alienigenis gravissima, in aestimandis magni momenti animadversionibus quae in Francogallorum Doctorum Operibus reperiuntur. Aliud inde, nec minus grave, natum est incommodum, quod non una, sed duae nomenclaturae ediscendae sint, systematica scilicet proprie dicta, et ea quae vulgari lingua concepta est. Quam assertionem aliquot exempla probabunt. Illa, de geographica avium distributione, tanti quidem pretii dissertatio, *Uraniae* peregrinationi circum orbem terrarum inserta, omni Ornithologo, qui gallicam nomenclaturam non pernotam haberet, magna ex parte maneret inaccessa. Quodsi docti Galli exclusoriam illam et, ut ita dicam, gentilitiam nomenclaturam non paulatim deserant, et scientiae et Operum ab ipsis editorum interest ut systematica nomina specierum, quas proferant, in gratiam alienigenarum apponant. Caeterum gallica illa nomenclatura abusus praebet quibus mederi necesse est. Quod enim occurrit in plerisque ex magnis illis tabularum collectionibus, magnas peregrinationes, quas circumnavigationes appellant, a Reipublicae in Francia administratoribus in lucem editas illustrantibus, usus scilicet nominum et e vulgari et e systematica lingua simul usurpatorum, nullo modo approbari potest. Dedicationes ex. gr. quae, ex auctoris sententia, in ipsa vulgari lingua manere debent, nec in systematicam transferri, duplicem praebent, ut alia omittam incommoda, eamque inutilem, difficultatem: Ex. gr. *Balistes Peillon* = *Balistes spinosissimus*. Idem dicam de nominibus systematicis quae non aut interpretatione aut ipso verbo vulgare nomen referunt, ut ex. gr. *Colombe muscadivore, Columba œnea*, aliaque plurima.

Sed inter omnes francogallos rerum naturalium investigatores nullus quidem studio substituendi gallicam auctoritatem systematicae auctoritati, eo processit audaciae temeritatisque quo LeVaillant, qui omnia omnino latina nomina respuit, in eorumque locum nova cudit, quae aut ex gallicis radicibus educit, aut a barbaris dialectis mutuatur: talia sunt ex. gr.

Cudor (Cul d'or), Brunoir (brun noir), Curouge (Cul rouge), Roupenne (Roux, penne), Sourcirou (Sourcil, roux), etc.

Haec agendi ratio in pracipuis habenda est causis quae auctoritatem docti LeVaillant imminuerunt, praecipue vero apud Germanos, quorum plerique etiam ea quae de scientia ille bene meritus est, non justa aestimatione pependerunt. Plura tamen genera, naturae optime consentanea, talibus sub nominibus constituit LeVaillant, quae recepta quidem sunt a recentioribus, sed aliis auctoribus, propterea quod hi systematica nomina indiderunt, pleraque attributa; ex. gr. Ceblepyris pro Echenilleur, Edolius pro Drongo, etc.

Soli Francogalli perseverant in studio tribuendi omnibus animalium et vegetabilium speciebus, juxta systematica nomina, vulgarem appellationem. Jamdiu caeteri, ex aliis nationibus, docti viri istum usum deseruerunt; nedum enim a consuetudine species animalium et vegetabilium systematicis nominibus proferendi, progressibus scientiarum circa Naturam versantium mora afferatur, major inde fiet concinnitas inter varias auctorum indicationes. Okenii tentamina, germanicam nomenclaturam, quae systematica praevaleret, condere enixi, nullos imitatores fautoresve invenerunt, ex quo politicae tempestates in Germania sedatae sunt.

Antequam de universa agatur systematicae nomenclaturae reformatione, cujus necessitatem omnes quidem hodie plus minusve sentiunt, oportet varias rationes creandis novis nominibus adhibitas in examen vocare. Nominum a LeVaillant conflatorum miras etymologias citatis aliquot exemplis tetigi. Anagrammatum a quibusdam auctoribus crebro usurpatorum, usus non minus vituperandus mihi videtur, praesertim cum in infinitum ea multiplicantur; quod factum est a Spinola qui octodecim cimicum genera ex vocibus Theresina et Valerius constituit: Verlusia, Vulsirea, Arvelius, Elvisura, Artheneis, Erthesina, Heniartes, Henetaris etc. Hodgsonius multa dedit indica nomina, ex. gr. Cochoa, Bahila etc.; Leachius vero et Grayius merae euphoniae indulserunt, aut nomina ex syllabis omnium linguarum, addita terminatione lalina, conflarunt ex. gr. Serolis, Munida, Creusia, Meroles, Soridia, Fromia. Salenia etc., Amyotus et Audinetus Servillius plurima ex hebraea, arabica, sanscrita aut etiam sinensi lingua derivarunt ex. gr. Sava, Lohita, Salyavata, Saica, Durganda, Cantao, etc.; Ochsenheimerus, Treitschkius et Stephensius nomina urbium et fluminum Asiae minoris et Syriae usurparunt ad designanda Lepidopterorum europaea genera ut Melitaea, Apamea, Araxes, Ophiusa; Lessonius nomina ex nominibus propriis contracta, mirumque in modum mutilata conflavit, ut Corcorax, Fregilupus, Corapica etc. etc. Qui molestissimum suscipiet officium extirpandi omnes illos barbarismos, et purgandi novum illud Augiae stabulum, optime

de scientia merebitur; verendum tamen est ne is, qui propriis viribus satis fiderit, refugiat inceptum opus, ne videatur alienas opes, mutatis pravis nominibus sibi arrogare.

Inter conatus quos recentiores rerum naturalium investigatores in emendandam nomenclaturam systematicam constanti studio contulerunt, occurrunt saepe peculiaris generis difficultates, quas eo aegrius superabunt universas, quod a philologicis potius quaestionibus pendent quam ab iis quae circa scientiam proprie dictam versantur.

Qui enim in ea stabit sententia, eadem nomina non esse, diverso sensu, in duabus pluribusve nostrorum Systematum partibus usurpanda, ei ante omnia illa erit examinanda quaestio, quaenam sint scilicet generum nomina, quoad homonymiam, una eademque habenda, qua vero ex dissimilitudine dissimilia. Expressis verbis Linnaeus, § 219, de genericis nominibus in universum edixit: «Debent dein nullam cum aliis nominibus parere confusionem.» Fateor me, multis inquisitionibus, plurima comparatione adhibita, nunquam certos fines, quo nodum expedirem, constituere potuisse. Ubi enim statuendi sint, ut certo percipi possint, non intelligo. Habendaene sunt, ex. gr., inter se nomine differentes eae generum appellationes, quae sola duntaxat terminatione, a, us, is, ix, yx etc. differant? Nemo quidem affirmaverit. Itaque genera Microptera, Micropteris, Micropterus, Micropteryx non possint videri nominibus satis dissimilibus designata ut omnia pariter conserventur, statim ac duplices usus tolerare nolis. Attamen genus Microptera ter in usum venit, ter genus Micropterus, ter genus Micropteryx, semel Micropteris. En igitur decem synonyma, ex quibus unum olim superesse debuerit! Eadem est ratio nominum in *us*, *ites*, *oides* etc. terminatorum, et ita sensim progrediendo, eo devenimus ubi nullus inter recipienda et rejicienda nomina limes reperire queat: *Asterias*, ex. gr., potestne exstare juxta *Asterina*, *Asteriscus*, *Asteroides; Bulla* juxta *Bullinus?*

Et haec quidem difficultas adeo me commovet, ut vitia nostrae nomenclaturae systematicae aequo animo ferenda putem, aut saltem toleranda, donec praestanti ingenio vir tantam sibi paraverit auctoritatem, ut in universa nomenclatura reformationem, qualem Linnaeus ante hos centum annos exsecutus est, omnibus suis partibus completam absolvat.

Quo sensu Linnaeus nomenclaturam suam binominalem caperet, quantique eam faceret, cum jam antea retulerim, non revolvam; hoc unum animadvertas velim, speciei denominationem, tum demum magni esse momenti cum eodem tempore, quo species describitur, genus quoque accurate definitum sit: quod satis superque probant incertae illae fossilium definitiones, in quibus genus, ad quod pertineant species, raro in examen vocarunt auctores; unde factum est ut aptae comparationes inter fossiles species praesertim ex antiquioribus imisque stratis, et viventes omnino non institui queant.

Praeterea, inventa specie, tam saepe aequam meriti partem vindicare possunt et ille qui collegit et ille qui descripsit eam, ut iniquum sane esset in auctorem nominis totum id conferre. Tum tam multi intercedunt gradus in rerum naturalium scientia ex eo temporis momento quo nomen accipiunt usque ad id quo organorum apta compositio, vivendi ratio, partitio geographica, quidquid denique versatur circa ordinem quam in universa naturae oeconomia occupant, satis innotuit, ut provinciam nostram plane ignoret ille qui denominationem specierum ultimum habet terminum ad quem scrutator rerum naturalium contendat. Imo quis est Zoologus, eo quidem nomine dignus, quin, vestigiis ingressus Lyonneti, Swammerdami, Spallanzanii, Geoffroyi, DeGeerii, Reaumurii, Röselii, ipsius Buffonii, tam bene de rerum naturalium scientia se meritum fuisse, quam nominandis generibus speciebusque plurimis putarit? attamen illi auctores in tabulis nostris systematicis nunquam, aut raro, citantur; adeo enim nomenclatura nihil est praeter rationem promovendae rerum naturalium scientiae adhibendam, non vero ipse, quem sibi ea proponat, finis.

Non tamen sine idonea causa, omnia ea discrimina accurataeque considerationes, quibus ea occasionem praebuerunt, magni momenti fuisse videntur. Altera enim ex parte, magna est ea quaestio (quippe cujus fundamento caetera omnia nitantur), quae sit earum divisionum ratio quas genera appellamus, et qua auctoritate digna sint; altera ex parte, dum alii limites iis severissime statuunt, omnibus viribus nituntur alii, quo probent meras esse eas animi, quas dicunt, abstractiones. Fit quidem nunc earum questionum, vastissimum spatium complectens, elaboratio; acerrimo studio genera, in his recentioribus temporibus, ubique subjecta sunt, licet hic arctissimi, illic amplioribus terminis ea circumscribant. Quod id attinet, nostra aetas luctando progreditur, et est, ut ita dicam, transitoria. Quae opinionum diversitas facilis est intellectu. Cum genus ampliorem, quam species, ambitum complectatur, difficilius concipitur illud quam specificorum characterum, naturae consentanea, ratio. Requirit igitur generum doctrina difficiliores latiusque extensas investigationes, vastiorem eruditionem, quam ad definiendas species opus est; quod quidem satis probat universus, quo specifica discrimina recepta sunt, consensus; generum autem veram, ex ipsa rerum natura, existentiam sicut plurimi antea, ita multi etiam nunc in dubium vocant, quamvis rerum naturalium scrutatores, quibus opinionem, majori doctrina fultam, habere optimo jure liceret, semper existimarint genera revera existere in Natura. Verumtamen magna, qua etiam nunc in hac scientiae parte laboratur, opinionum diversitas, nedum gravia in posterum creet incommoda, rem omnem et certiorem et melius elaboratam tandem aliquando faciet.

Quodsi ex generum examine ad familias transimus, vel incertiores invenimus in existentibus Operibus notiones, majus de tota illarum ratione dissidium. Multo minus quippe studii

impensum est familiis in animalium quam in vegetabilium Regno. Imo non nihil habet offensionis maxima illa quae inter utrumque Regnum exstat, differentia. Dum enim Botanici plerique de magna utilitate studii in familias conferendi, quin etiam de plurimarum finibus consentiunt, Zoologi adhuc de earum existentia disputant. Nihil itaque incertius est quam naturalium, quas appellant in Zoologia, familiarum ratio. Pauci majorum gentium Docti praecipuam in illas curam contulerunt; ex iis vero quae nomina acceperunt, multae nunquam aut characteribus definitae aut saltem accurate circumscriptae sunt. Latreillii Bertholdique Opera spem, quam super universa de Regni animalium commentatione concipere fas erat, minime impleverunt. Quod classes vertebratorum attinet, nemo id studium acrius persecutus est quam Princeps a Canino; sed pleraque ejus tentamina merae nomenclationis specie prodierunt. Utinam doctissimus Vir mox in lucem edat singularum familiarum characteres! Nomina vero, quae naturales familiae in Regno animalium acceperunt parum adhuc certa stabiliaque sunt; alii mutuantur illa indiscriminatim a quibusvis characteribus quos prae se ferunt animalia; alii, nulla priorum Operum ratione habita, nunc ex hoc, nunc ex illo genere, quod typum habent familiarum, uniformibus additis terminationibus, illa cudunt. Quid dicam de amplioribus Regni animalium divisionibus, de classibus, de ipso earum numero, de iterata earum in ordines caeterasque collectiones partitione! Nihil magis libidini obnoxium! Aliam apud alios auctores invenimus ordinandi rationem, et inde diversa dividendo Regno animalium fundamenta. Itaque tantum abest ut in proximum tempus *Systema animalium* liceat exspectare, ut, non sine molestia, putandum sit multos annos forsitan, antequam scientia Opere *Genera animalium* digerente gaudeat, lapsuros et plura forsitan saecula, antequam de naturalibus familiis in universum commentatione locupletetur, quae vel cum iis, quibus Botanice jam gloriatur, comparari queat.

ANIMADVERSIONES IN NOMENCLATOREM MEUM.

Post illas, quas protuli, observationes, non supervacaneum fuerit quaedam de ratione qua in componendo hoc, quod hodie absolvo, Opere usus sum addere.

Scientiae curriculum vix ingresso mihi opus fuit, quo ducem in propriis laboribus haberem et duplices usus, si forte nova genera essem conditurus, vitarem, universali omnium in regno animalium statutorum generum Indice. Itaque coepi, ante hos viginti annos, nomina ex omnibus, quos evolverem, systematicis libris colligere. Inde paulatim eo deductus sum ut ea in Indices, litterarum ordine scriptos, qui corpus hujus Operis constituunt, digererem.

Omnia ea, generum scilicet, familiarum, ordinum et classium nomina, sive probata sive minus recepta, unius et triginta millium numerum hodie explent. Quaeque classis a caeteris disjuncta per se ipsa spectatur; nomina vero ex singulis, in tabulas, ordine litterarum digestas, retuli, tum quo auctore, quo in Opere, quo anno primum in lucem prodierint, (quae, si de jure primi auctoris agatur, haud parvi sunt momemti), tum etymon nominis, denique familiam ad quam quaeque pertinent. Index vero nominum universalis omnes Classes complectitur, et nomina duplici usu adhibita alia aliis apponit.

Cum nomini cujusque generis nomen familiae, cui adscribitur, additum sit, omnium ex Regno animali generum affinitates, uno quasi intuitu, in his Indicibus reperies, quod quidem ad ordinandas Collectiones plurimum prodest. Praeterea recensitis, quae in singulis Classibus ordinem cogunt, nominibus, facile cognosces quae Genera constituta fuerint in unaquaque familia, et simul Opera, in quibus descripta sunt, indicata invenies: ita evolvendis multis Operibus, in quibus aut ordinata aut depicta sunt, licebit abstineas [1]).

Familias, ad quas referuntur genera, ipsis nominibus propriis citare commodum habeo; sed haec dividendi ratio nec ubique satis certa, in Classi saltem Mammalium, nec universe probata est; quamobrem coactus fui Ordinem potius indicare, et Familiae nomen in accessionem addere. De aliis Classibus aliter, cum licebat, statui, ut in pluribus Classibus videbis. Nec silentio praetermittendum, me, sententia plurium et amicitia et scientia mecum conjunctorum, quibuscum prima hujus Operis specimina communicavi, ad id adductum fuisse, ut omnes omnino nominum variantias, quae apud Auctores reperiuntur, ideoque omnia nomina, quae aut finalibus syllabis aut orthographia discrepant, omnes subfamilias, quin et Generum subdivisiones nominibus propriis designatas, adderem: ne menda quidem librariorum, quae variantium verborum speciem praeberent, sustuli. Denique quasdam nuncupationes communi consensu probatas, nec tamen in Opera latine scripta adhuc receptas, forma vel latina, vel vulgari, habes hic indutas. Haec primi consilii immutatio causa est cur plura nomina, Mammalium, Avium etc. Classibus, in Appendice, subjecta sint. Per eamdem occasionem, aliquot nomina, quae in Operibus nuperrime editis reperivi, inde a principio memoravi. Quo fit ut omnia nomina, quae aut proposita sunt, aut quoquo modo in synonymiam Animalium introducta, in Nomenclatore meo deposita, nec tamen rata a me facta, invenias: quippe Repertorium imprimis completum esse debet.

---

[1]) Per eum fit ordinem ut hoc Opus, quod, primo aspectu, reconditioris videtur esse eruditionis, revera usui quotidiano erit quam accommodatissimum, cum nulla alia exstet Collectio, nedum systematicum Opus, quae uniformi modo familiam indicet ad quam unumquodque genus huc usque constitutum, probatum sit necne, pertineat.

Citatorum Auctorum ipsa loca si quando desideres, id eo excusari velim quod Opera, ex quibus nomina deprompta sunt, non jam habeo in mea potestate, quumque ea colligerem, nondum edendi hos Indices inieram consilium: igitur supprimere ea potius habui, quam dubia fide lacunas explere.

Et nunc quidem aequum est ut grato animo referam quam multa multi, inter edendum hoc Opus, mecum communicarint, quas vero partes in componendo eo susceperint plures ex meis amicis, qui eruditione sua, quo magis omnibus numeris completum illud esset assensuque virorum doctorum magis dignum, me adjuverunt.

Mammalium Indicem Clariss. *Herm. a Meyero, Andr. Wagnerus* et *G. R. Waterhousius* diligentissime, additis quae me fefellissent nominibus, recognoverunt; Herm. a Meyero fossilium, A. Wagnerus et Waterhousius viventium genera compleverunt, citatis locis ex Operibus germanicis et anglicis quae mihi non suppetebant.

Aves recognitae sunt a *Car. L. Bonaparte*, Principe a Canino, a *G. R. Grayio* et ab *Hugh E. Stricklandio*, naturae observatoribus diligentissimis clarissimisque. Primus magnum mihi indicavit numerum nominum quae adtentionem meam fefellerant. G. R. Grayius, pro sua humanitate, meum recognovit manuscriptum, tempore quo ipse alteram sui Indicis generum Avium editionem parabat. Id tandem Stricklandii studio et benevolentiae refero quod ad meam notitiam pervenire curaverit, quicquid novi in ornithologia ederetur, densamque silvam additamentorum ad hanc classem, nuper editorum, suppeditaverit.

In reptilibus perquirendis longe maximam operam impendi, quamvis adjutus communicationibus Principis a Canino, et doctissimorum *C. Dumerilii, J. Ed. Grayii* et *J. J. Kaupii*, qui meum manuscriptum recognovere, quamplurimisque additamentis ad viventia reptilia pertinentibus ditavere; ut et *H. a Meyero*, ad genera fossilia. Ipsa documenta quae a magnorum illorum Herpetologiae magistrorum liberalitate obtinui, et lacunae, quae adhuc in meo Opere exstant, talium perquisitionum difficultatem arguunt, si quis rem exhaurire velit.

Etsi pars Nomenclatoris ichthyologica me praesertim districtum tenuerit, ingratus essem et inurbanus, si reticerem *Principis a Canino, Joh. Mulleri* et *Valenciennesii* Opera antesignanos mihi in re navanda fuisse.

Molluscorum index a doctiss. *C. Th. Menkio* totus est recognitus, qui, pro suo studio indefesso, crebras insuper complere lacunas, omnes corrigere indicationes ad naturales familias pertinentes, ad quas omnia genera sunt referenda, et has ubique, modo earum affinitatibus exploratissimis consentaneo, designare non recusavit. Porro doctiss. *Hugh E. Stricklandius* mihi permulta e conchyliologicis publicationibus Britanniae recentissimis excerpta documenta

suppeditavit; doctiss. vero *J. E. Grayius* Operum multorum rariorum nomina, quae super Continente comparare nequivi, ad meum usum humanissime excerpsit.

Coleopterorum index solus magnum constituit opus, in quo digerendo, doctiss. *Guil. F. Erichsonius* pars magna fuit; etenim, non solum primam meam adumbrationem multitudine nominum ditavit, quae me fugisse debebant, ut qui nunquam his animalibus peculiare studium dicaverim; sed viri doctissimi auxilium hos inter limites non stetit; ille, ille solus, ratione per omnia sibi constanti, familias indicavit, ad quas illorum generum multitudo referenda sit.

Orthopterorum ordo recognitus est a doctiss. *Toussaint de Charpentier* qui meum absolvit manuscriptum, lacunas explendo, quas in citandis auctoribus reliqueram, addendoque nomina quae omiseram.

Doctiss. *Ern. J. Germarius* eandem Neuropteris navavit operam, multaque insuper suppeditavit additamenta ad hunc fasciculum supplendum.

Amicissimo Guil. F. Erichsonio monente, Orthopterorum ordinem integrum proposuimus, Perlariarum, Termitidum, Embidarum, Psocidum, Libellulinarum, Ephemeridum et Lepismenarum familiis auctum, quae non solum metamorphosi, sed oris etiam fabrica, non minus quam interiori corporis structura caeteris congruunt; easdem nihilominus inter Neuroptera repetivimus.

Hymenopterorum index recognitus et completus est primo a doctiss. *L. Imhoffio*, diu ante publicationem; serius doctiss. *Erichsonius* nova addebat nomina quae deerant, totumque recognoscebat, ad generum positionem, ratione sibi constanti, in sua quaque familia stabiliendam.

Clarissimus *Zellerus* Lepidoptera acutissime recognovit; non solum familias apposuit, et librorum prolationes complevit, sed paginas adeo librorum notavit, id quod lubenter ubique in caeteris fasciculis addidissem, ni jam typis essent mandati.

Hemipterorum ordo a doctiss *Guil. F. Erichsonio* et *Ern. F. Germario* recognitus et completus fuit. Hic praesertim, in supplementa, multa additamenta mihi suppeditavit, quibus totam addidi doctissimorum Amyoti et Audinet-Serville novorum generum seriem, tam portentosis nominibus designatorum.

Doctissimo *Löwius* Dipterorum recognitionem acceptam refero. Viri subtilioris Robineau-Desvoidy laboribus, hujus ordinis nomenclatura adeo complicata est, ut hanc operis partem navanti, haud paucae obversarentur difficultates quae in aliis indicibus non occurrebant. Attamen speramus rationem, qua illae a doctissimo Löwio resolutae sunt, ab Entomologis comprobatum iri.

Strepsipterorum, Suctoriorum, Thysanurorum, Thysanopterorum, Arachnidarum, Epizoorum et Myriapodum indices a cl. *Erichsonio* funditus sunt explorati. Primus labor meus in propaginem illam tam incompletus, propter specialis cognitionis defectum, evaserat, ut cl. Erichsonii recensionem totam substituere debuerim; vix partem adumbrationis Arachnidarum servare potui.

Crustaceorum index, quum primum edebatur, a doctiss. *H. Burmeistero* est recognitus; ille lacunas, ratione aliis classibus consentanea, compleverat. Postea vero a cl. *Milne-Edwards* et *Luca* absolutus et novis generibus auctus est. Notas addititias suppeditavit cl. *Menkius* in Cirripedes, cl. *Stricklandius* vero in fossilia crustacea. Illa additamenta in supplementis ad hanc classem, serius editis, reperiuntur.

Vermes recogniti sunt primum a doctiss. *Fr. Mieschero;* posthac nomina addidi, quae scientiae progressus introduxere, aliaque meae adtentioni a doctiss. *Stricklandio* commendata.

Clarissimum *C. G. Ehrenbergium* Rotiferorum et Polygastricorum indices recognovisse certior factus, quis dubitabit illarum classium studium ad scientiae recentioris libellam respondere? Rem eo fidentius sic esse credes, si dixero me clarissimi viri humanitati et liberalitati acceptum referre, quod suorum inventorum rationem et progressus assidue et suo tempore ad me pervenire curaverit.

Equidem spero Echinodermatum indici non multa esse defutura. Veterum auctorum nominibus, quae jam in cl. *Car. Desmoulins* libro collecta reperiuntur, ordine alphabetico dispositis, mihi tantummodo Opera recentiora virorum clariss. *Austin, Brandt*, von *Buch, Forbes, Gray, Grube, M. Coy, H.* von *Meyer, Müller* et *Troschel, Phillips* et *Portlock,* excerpenda erant, ut in unum colligeretur quicquid novi, circa partem historiae illorum animalium systematicam et descriptivam, praestitum sit.

Labores in Medusas magis sunt disseminati; puto tamen nihil majoris momenti in hac classe a me fuisse obmissum.

Quod tandem ad polypos spectat, itidem arbitror omnes fontes ad quos accedere licuerit, quibusque index alphabeticus, quantum fieri posset, suis numeris absolutus exsurgeret, a me plane fuisse exhaustos; praesentire tamen mihi videor tempus venturum, quo multa, in naturalium familiarum generibus distribuendis, necesse erit immutare. Re vera, horum animalium studium anatomicum et physiologicum nondum satis magna cepit incrementa ut, ab hoc ipso tempore, eorum naturales affinitates ex vero possint aestimari. Nulla, in praecedentibus, rei mentione facta, restat mihi dicere a cl. Ehrenbergio et Stricklandio multa in hanc classem documenta mecum fuisse communicata.

Cum hos Indices cupiam reddere quam absolutissimos, ut inde Codex eruditionis zoologicae aliquando fiat, omnes Zoologos rogo ut, si quid mendi aut omissio aliqua me fefellerit, humane me moneant. Praeterea quidquid in posterum fuerit de hac materia in lucem editum, aut per litteras mihi significari, aut directo operave Bibliopolarum Jent et Gassmann hujus operis Editorum, ad me mitti velim; in annuis enim supplementis recens inventa colligam, ut nihil novi in hoc Nomenclatore Zoologico desideres.

Non tamen omittam me ineditam de Nomenclatura modificationem, quamvis optabilis esse videatur, nullam in hos Indices admisisse; id unum studui ut praesentem methodi statum, qualis est, referrem. Attamen in *Indice universali* aliquot menda, ad orthographiam pertinentia, ut videbis, sustuli, quae quidem correctio facilis esset, nec impeditura sit quominus sic emendata nomina sub auctoritate virorum doctorum, qui ea proposuerint, in posterum maneant. Caetera omnia, quae gravioribus vitiis laborarent, non correxi, sed peculiaribus signis notavi.

